

VE RI
TAS


ALPHONSE
PICARD & FILS
EDITEURS
RUE BONAPARTE
-82-
PARIS VIe ARRONDt
LIBRAIRIE
ANCIENNE



DE CONSTITUTIONIBUS

MARCI AURELII ANTONINI

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

H. DUMÉRIL

TOULOUSE
IMPRIMERIE DOULADOURE-PRIVAT
RUE SAINT-ROME, 39

1882



DE CONSTITUTIONIBUS

MARCI AURELII ANTONINI

DE CONSTITUTIONIBUS

MARCI AURELII ANTONINI

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

H. DUMÉRIL

TOULOUSE
IMPRIMERIE DOULADOURE-PRIVAT
RUE SAINT-ROME, 39

1882




HARVARD COLLEGE
JUL 31 1922
LIBRARY

UTRIQUE PARENTI

PRÆFATIO

PRÆFATIO

Quisquis romani imperii historiæ ab Octavio Augusto usque ad Romulum Augustulum studet, id longe aliter se habuisse sub Constantino ejusque successoribus atque sub priorum Cæsarum dominatione facile perspicit; alii sunt mores, aliud jus civile, alia religio; nomina magistratuum multa nova; eorum qui antiquitus exstiterant munera valde diversa; quin imperii sedes ex urbe Roma in Bosphori littus translata; lingua latina paulatim apud principes eorumque familiares exolevit et græcæ linguæ sæpe cedit; stat modo umbra romani nominis quæ græco, imo asiatico imperio velut prætenditur.

Quæ rerum conversio non semel et quasi uno puncto temporis effectà est, sed per tria sæcula et minutatim, non tamen composite et ordinate, nec semper eodem, ut ita dicam, cursu. Plurimi enim principes, primo præcipue sæculo, quamvis vetus libertas evanuisset, neque facile potestatem suam imminui paterentur, morem majorum servabant; optimus quisque, quia hoc maxime saluti reipublicæ profecturum existimabat, ceteri ipsi nonnunquam, seu per socordiam, sive quo malefactorum odium in se minus recideret. Hæc

DE CONSTITUTIONIBUS

MARCI AURELII ANTONINI

beamus, ne Gaii quidem, quamvis memoria nostra maxima pars illius jurisconsulti Commentariorum lecta et explicata sit[1]. Modicæ eruditionis et exiguæ in dijudicandis rebus subtilitatis breviatores et scriptores vitarum, jurisperitorum fragmenta per Justiniani Pandectas sparsa, pauca placita ejusdem Codici inserta, inscriptiones illa ætate fere innumeræ sed non omnes pari fide dignæ, denique, quod ad christianos attinet, ecclesiastici scriptores nobis adjumento erunt.

Marco Antonino apud recentiores non defuerunt historiarum scriptores[2], neque philosophi qui de ejus libro disputarent[3], quorum operibus etiam utemur.

1. His Commentariis utemur quos edidit E. Dubois ex Studemundi Apographo (Lutetiæ Parisiorum, 1880).

2. Inter quos imprimis memorandi sunt:

Gautier de Sibert, *Vies des empereurs Tite-Antonin et Marc-Aurèle.* Paris, 1769.

Ripault, *Marc-Aurèle* ou *Histoire philosophique de l'empereur Marc-Antonin.* Paris, 1820.

E. de Suckau, *Etude sur Marc-Aurèle.* Paris, 1857.

A. Heysler, *De vita et placitis Marci Aurelii Antonini imperatoris.* Œniponti, 1858.

Noël des Vergers, *Essai sur Marc-Aurèle d'après les documents épigraphiques.* Paris, 1860.

Napp, *De rebus ab imperatore M. Aurelio Antonino in Oriente gestis.* Bonn, 1879.

E. Renan, *Conférences d'Angleterre... Marc-Aurèle.* Paris, 1880.

Id. *Marc-Aurèle et la fin du monde antique.* Paris, 1882

Vid. etiam omnes eos qui de imperio romano generaliter disseruerunt, Le Nain de Tillemont, de Champagny, Merivale, Zeller, Duruy, etc. — Liber cujus inscriptio : *Histoire de Marc-Aurèle, empereur romain, vray miroir et horloge des princes, recueillie par le S. Don Antoine de Gueuarre... trad... par R. B. de Grise, depuis reveue et corrigee... par feu N. de Herberay...* Paris, MDLXV, nil nisi fabula est. — Ejusdem principis Panegyricus quem Thomas elegantissime scripsit, A. D. 1770, parum historiæ prodest.

3. Quorum enumeratio reperitur, accurata satis, apud A.

Nec prætermittendi sunt ii qui specialiter juri Antoniniano studuerunt, pauci quidem : Papirius Justus, Marco Aurelio æqualis, dicitur illius constitutiones in viginti libros collegisse, non jam exstantes. Haud ita pridem *J. O. Westenbergius* antecessor non spernendum volumen scripsit de iisdem constitutionibus, sed parum pressum et paulo prolixius [1]; cui prius viam ostenderat *Q. G. Schacher*, brevissimo quidem opusculo [2]. Ambæ autem hæ dissertationes non tantam utilitatem mihi attulere quantam sperabam; plurimæ enim quæstiones nunc exoletæ et decantatæ in iis tractantur, aliæ autem multæ omissæ; neque earum auctores in promptu habebant quæcumque hodie cognoscere possumus, ante omnia scilicet jam supra dictos Gaii Commentarios, qui, etsi truncati, in legibus romanis multa obscura illustraverunt; quibus etiam Fragmenta dicta *Vaticana* et monumenta quædam epigraphica addenda sunt nuper reperta. Denique non silentio præterire æquum est *D. Gustavum Hœnel* per cujus compilationem longis fastidiosisque indagationibus omnes juris romani studiosi liberati sunt [3].

Auctorum qui tantum singulares ad materiam operis nostri pertinentes res memoraverunt, quemque suo loco laudabimus.

Braune, *Marc Aurel's Meditationen in ihrer Einheit und Bedeutung*. Altenburg, 1878. Add. Martha, *Les Moralistes sous l'empire romain*, 3e édit., Paris, 1872.

1. *Divus Marcus, seu dissertationes Marci Aurelii Antonini imperatoris*. Lugd. Bat., 1736.

2. *Singularia Marci Antonini Philosophi jurisprudentiæ capita...* Lipsiæ, 1732. Quem libellum Œttinger *Rivino* per errorem assignat, qui thesi præses fuerat.

3. *Corpus legum ab imperatoribus romanis latarum quæ extra constitutionum codices supersunt...* Lipsiæ, 1857.

Ut facilius de Marco Antonino juris conditore disseramus, divisionem ab ipsis Romæ jurisconsultis admissam sequemur, qui jus publicum privatumque secernebant, prout ad statum reipublicæ vel ad singulorum utilitatem illud pertineret[1].

1. Ulp. L. 1, § 2, D., *De justitia et jure*, 1, 1.

PARS PRIOR

DE JURE PUBLICO

PARS PRIOR

DE JURE PUBLICO

Publicum jus, ait Ulpianus, in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit[1]. Quæ enumeratio valde imperfecta est. Prætermittit enim jurisconsultus multa quæ haud dubie ad jus publicum spectant, scilicet varios imperii incolarum ordines, rei nummariæ constitutionem, collegia et sodalicia, annonam, spectacula, exercitus, bonos mores, pœnas quæ scelestis irrogentur[2]. De his fere cunctis aut nova statuit aut vetera confirmavit Noster; quæ nobis nunc diligentius examinanda.

Ac priore loco qui fuerint magistratus, quæ senatus auctoritas Marco Antonino imperante dispiciamus; dein de aliis romani status muneribus et variis corporibus disputabimus.

1. *Ibid.*

2. Judicia in facinorosos homines a plurimis hodie recte ad jus publicum pertinere videntur : post jus privatum et quasi partem ejusdem juris vero Justinianus ea explicat in Institutionibus. — De jure publico ita Franciscus Baconius disserit : « Neque tamen jus publicum ad hoc tantum spectat, ut addatur tanquam custos juri privato ne illud violetur, atque ut cessent injuriæ : sed extenditur etiam ad religionem, et arma, et disciplinam, et ornamenta, et opes, denique ad omnia circa *bene esse* civitatis. » *Aph.* IV.

§ 1. — *De principatu.*

Primus imperatoriæ potestatis conditor Octavius, cum principatus nomine munus novum, aliis omnibus re, non verbo superius, creasset, nihil adhuc ignotum vel inusitatum in civitatem introferre curaverat, nec facile creditur Dioni eum memoranti a senatu omnibus legibus solutum esse [1]. In milites imperium, proconsulatum, principis senatus dignitatem, tribunitiam potestatem, summum pontificatum, censoria munera sub præfectus morum nomine, accepit, non semel sed variis temporibus, et alia in perpetuum, alia ad tempus. Nihil de ejus successore decretum fuerat, nedum hereditas principatus constituta esset; nec postea eadem hereditas constituta est; mos autem apud imperatores viguit sibi filios vel naturales, vel adoptivos pro parte potestati suæ consociandi; cujus consociationis exemplum ipse Augustus dederat. Cum Hadrianus Titum Antoninum adrogavit, hic Marcum Annium Verum [2], patris uxoris suæ filium, et Lucium Commodum, L. Veri Cæsaris, adoptavit [3]. Aliquanto post Marco, filio

1. Quibusdam solummodo solutus est, ut ex senatusconsulto constat, quo Vespasianus jura adeptus est jam antea Augusto Tiberioque et Claudio tributa : « Utique quibus legibus plebeive scitis scriptum fuit ne D. Aug. Tib. J. Cæsar. Claud. Cæs. Aug. tenerentur, iis legibus plebisve scitis Imp. Cæsar Vespas. Aug. solutus sit. » Hoc taliaque senatusconsulta sine dubio illius *Legis Regiæ* fabulæ originem dedere, a posterioris ætatis prudentibus laudatæ, qua populus « principi et in principem omne suum imperium et potestatem contulisset. » (L. 1, D. *De constitutionibus principum,* 1, 4.)

2. De variis Marci Antonini nominibus, vid. Westenbergium, *op. cit.*, p. 3-6.

3. Alii a Tito Antonino Verum non tanquam filium, sed tanquam nepotem e Marco natum adoptatum esse putant. Vid.

adoptivo, Cæsaris nomen imposuit, eumque ita ad principatum designavit; namque hoc nomen a Galbæ temporibus veluti dignitatis titulus, solummodo Augusti nomini inferior, a principibus assumptum erat. Ad præcipuos civitatis honores per ordinem provectus, ut minora hic omittam, tribunitiam potestatem, proconsulatum, jus quintæ relationis accepit Marcus Aurelius[1], non semel consul designatus est; eum jam *imperatorem* Fronto nominat, quam appellationem etiam paucæ inscriptiones, nulli tamen, ut videtur, nummi, eodem tempore ferunt[2]. Nec Augustus factus est ante patris mortem. Quæ omnia nihil singulare sane habebant[3].

At, ubi Pius vita concessit, nova hactenus et inaudita summæ potestatis partitio facta est; nam Marcus æquo jure sibi consociavit fratrem, L. Verum[3]. Tiberius quidem, Titusque et ceteri a parentibus, ut supra diximus, ad certam auctoritatis partem exercendam vocati erant, nunquam vero ab iis Augusti et collegæ facti. Quam novitatem tantum æquales mirati sunt ut auctoribus quibusdam id quasi alterius sæculorum ordinis initium visum sit.

Capitol. *M. Ant. Phil.*, 5; *Ver.* 2; qui sibi contradicit: *M. Ant.* 7 et *Ver.* 3. Cf. Spartian. *Hadrian.* 22.

1 Vid. A. Paillard, *Hist. de la transmission du pouvoir impérial à Rome et à Constantinople.* Paris, 1875.

2. De his non exactissime disseruit E. de Suckau (*op. cit.*, p. 143-144) qui eum ab Antonino Pio Augustum creatum fuisse existimare videtur A. D. 148. — Cf. Capitolinum, in *M. Ant. Phil.* 7 : « Tunc primum (post excessum D. Pii) romanum imperium duos Augustos habere cœpit. » — Eutrop. *Brev.* VIII, 9.

3. Num L. Verus et pontifex maximus factus fuerit dubitatur. Cf. Mommsen, *I. R. Neap.*, 442, 443; *Handb. der roem. Alt.* II, 2, p. 1053; Bouché-Leclercq, *Les Pontifes de l'ancienne Rome*, p. 370. Vid. tamen Amm. XXVII, 6; Orelli, 873, 3682, 5483, 5484; Capit., *Max. et Balb.* 8.

Aliquot post annis (A. D. 166), L. Verus senatum rogavit ut gemini Marci filii, L. Commodus et Annius Verus Cæsares salutarentur; inde effectum est ut, brevi temporis spatio, duo Augusti et Cæsares duo imperium tenuerint, et *tetrarchia* qualis deinde fuit Diocletiani tempore constituta sit; hæc quoque similitudo notanda; ut Diocletianus postea alterum Augustum Maximianum, sic M. Antoninus L. Verum semper antecessit. Forsan et provinciarum divisio effecta esset, ni Verus, qui solus in Orientem missus erat ad Parthos debellandos, se imperii oneri imparem præstitisset, dein mature obiisset. Unus Commodus, patruo et fratri superstes, quanquam adolescentulus, tribunitiam potestatem adeptus, mox Augustus, vivo patre, factus est[1].

Quamobrem a Marco Antonino principium repeti potest ejus imperii divisionis quæ, non sine intermissione primum, dein ordinaria, post Theodosium in perpetuam orbis romani sectionem evasit.

Ex iis quæ exposuimus, intelligimus etiam qua ratione Marci Aurelii edicta vel rescripta aut sub nomine ejus Verique (qui *Divi Fratres* sæpius appellantur), aut ejus unius, aut ejus Commodique pro temporibus sint : quæ tamen cuncta promiscue ut Nostri opera considerare licet, propter Veri desidiam Commodique pueritiam. — Nec mediocrem partem in multis Pii constitutionibus habuisse eum verisimile est, cum in

1. Quem successorem quod elegisset sæpenumero historici Marcum incusaverunt, inique autem : nam minor etiam tum viginti annis erat cum pater morte extinctus est. Atrocem animum ab infantia eum ostendisse dicitur, nescio an parum recte; verum Titus, deliciæ generis humani, et ipse crudelissimus primum fuerat.

omnibus illius consiliis adhiberetur et in reipublicæ consortione esset. Post mortem patris ejusdemque optimi principis, illius exemplum fideliter secutus est utpote qui difficillimæ imperandi arti jamdiu esset assuefactus.

Hæc de divisione imperii. — Nunc disquirendum quo more Marcus erga magistratus ordinesque civitatis se gesserit. A præceptoribus odium tyrannidis acceperat : « A Frontone, inquit, didici intelligere qualis sit tyrannorum et invidentia, et versutia, et simulatio... Per eumdem [Severum] Thraseam, Helvidium, Catonem, Brutum cognovi et animo concepi imaginem reipublicæ liberæ, in qua æquis legibus et eodem jure omnia administrarentur, et regni quod civium libertatem omnium maximi æstimet... Cave ne in mores cæsareos degeneres, ne inficiaris[1]... » Inde concludi possit quod Capitolinus de eo memorat: « Jus potius antiquum restituit quam novum constituit[2]. » Quinetiam ipse scribit : « Finis animalium ratione præditorum est urbis et civitatis antiquissimæ rationi et legi obsequi[3] », et Pium laudat quod « more majorum omnia egerit, ne illud quidem ipsum affectans ut morem majorum servare videretur[4]. » Nemo ignorat quanta apud Romanos moris majorum semper auctoritas fuerit, nec mirandum si illum Marcus per-

1. « Παρὰ Φρόντωνος, τὸ ἐπιστῆσαι, οἷα ἡ τυραννικὴ βασκανία, καὶ ποικιλία, καὶ ὑπόκρισις... Καὶ τὸ δι' αὐτον γνῶναι Θρασέαν, Ἑλβίδιον, Κάτωνα, Δίωνα, Βροῦτον, καὶ φαντασίαν λαβεῖν πολιτείας ἰσονόμου, κατὰ ἰσότητα καὶ ἰσηγορίαν διοικουμένης, καὶ βασιλείας τιμώσης πάντων μάλιστα τὴν ἐλευθερίαν τῶν ἀρχομένων... Ὅρα, μὴ ἀποκαισαρωθῆς, μὴ βαφῇς. » Ἐις ἑαυτόν ; I, 11, 14, VI, 30.

2. *M. Ant. Phil.* 11.

3. « Τέλος δὲ λογικῶν ζώων, τὸ ἕπεσθαι τῷ τῆς πόλεως καὶ πολιτείας τῆς πρεσβυτάτης λόγῳ καὶ θεσμῷ. » Ἐις ἑαυτόν, II, 16.

4. *Ibid.*

sæpe laudavit et secutus est aut potius se secutum existimavit. Apud alios quoque et recentiores populos veterum nominum veneratio cum rerum mutandarum et emendandarum voluntate consociata est; vulgus ut antea omnia manere putat, quoniam appellationes eædem manserunt; cuncta tamen sensim immutantur. Num Marcus Antoninus patris suasque constitutiones longe a pristino jure recedere conscius fuerit, dubium; recessisse autem eas ab illo non continuo quidem sed frequenter certissimum est. De ordinibus primum disputabimus.

§ 2. — *De civitatis ordinibus.*

A senatu exordium capere decet, cujus gravissima in republica auctoritas olim fuerat. Multum aberat, etsi plurimorum senatorum in principes pessimos deforme obsequium fuerat, ut omnino evanuisset summi ordinis existimatio. Imo ab imperatoribus novis neque exiguis muneribus ornatus erat; legum constituendarum magistratuumque eligendorum jus ad eum transtulerat Tiberius; jam Augustus ut pæne hereditaria senatoria dignitas fieret, caverat. Prudentissimus quisque princeps post Augustum Patres colere, consulere, apud eos dominationis præsidia quærere, seu ob memoriam antiquæ eorum auctoritatis, sive quia ita semet ipsum tanquam senatus principem extollebat, huncque titulum splendidiorem faciebat, sive tandem quod facilius paucis senatoribus quam toti populo imperare censebat. Ceteri vero iis timorem injicere, eos opprimere, vexare, quia ipsi timebant. Nerva, Trajanusque, qui principatum et libertatem quantum in iis fuerat conjunxerant, senatus fuerant observantissimi;

nec posteriores principes aliter se gesserunt, neque, ut opinor, agere potuerunt. Hadrianus quidem, ultimis regni annis, a se voluntatem Patrum alienavit; rursus Titus Antoninus et Marcus Aurelius eos summa veneratione prosecuti sunt. « Nec quisquam principum, ait Capitolinus, amplius [quam Marcus Aurelius] senatui detulit. In senatu autem honorificentiam, multis et prætoriis et consularibus privatis decidenda negotia delegavit, quo magis eorum cum exercitio juris auctoritas cresceret... multis senatoribus vel pauperibus sine crimine dignitates tribunitias ædilitiasque concessit, nec quemquam in ordinem legit nisi quem ipse bene scisset. Hoc quoque senatoribus detulit ut quoties eorum capite esset judicandum, secreto pertractaret, atque ita in publicum prodiret; nec pateretur equites romanos talibus interesse causis[1]... » Postquam Avidius Cassius interemptus fuerat, nullum senatorem capite puniri voluit; nec ante Quadorum cladem *imperatoris* titulum a militibus datum acceperat nisi a Patribus confirmatum[2]. Hæc sola consideranti Augusti vestigia constanter tenuisse Marcus videtur et illius instar *dyarchiam* constituere voluisse, scilicet inter principem et curiam imperium divisum. Quæ tamen opinio non omnino amplectenda est. Quamvis enim ab antiquissima stirpe, imo a Numa Pompilio oriundus diceretur, non nobilitatem unice æstimavit, qui scripsit : « A Frontone didici intelligere... eos qui a nobis patricii appellantur, ut plurimum a genuino paterni animi affectu alieniores esse[3]. » Nec senatus idem erat

1. *M. Ant. Phil.* 10.
2. Dio Cass., LXXI, 10.
3. « ... Ὅτι ὡς ἐπίπαν οἱ καλούμενοι οὗτοι παρ' ἡμῖν εὐπατρίδαι, ἀστοργότεροί πως εἰσί. » Εἰς ἑαυτόν, I, 11.

in quo sub Augusto Tiberioque clarissima nomina effulserant; quot enim nobiles gentes nuper exstinctæ! quot senatores Caii, Neronis, Domitiani sævitia absumpti! quot aut nullis majoribus aut provinciales viri iis substituti! Et ab Hadriani tempore senatus apud principes auctoritas minus valuerat; cum enim Augustus in suum consilium senatores solos vocavisset, Hadrianus in id equites quoque, præcipue jurisconsultos, primum quidem a senatu probatos, vocavit[1]. Cujus consilii gratia crevit in dies, quia et minus metuendum videbatur et in eo plures jurisconsulti inveniebantur : ejus decisiones quotidie majus momentum obtinuere, senatusconsulta pauciora facta sunt. Consilio suo plus etiam quam superiores principes Marcum per modestiam tribuisse probabile est, alienis sententiis adjuvari maxime studentem[2]. Præterea magistratus quorum delectus ex imperatoris arbitrio pendebat, velut præfectus prætorio, gradatim jurisdictionem auxerant, et perraro senatores erant[3]. Ita Basseum Rufum Marci Antonini prætorio præfectum humillima ex origine natum traditum est. Qui etiam, cum non semel provinciæ præses fuisset, procurator a rationibus electus est[4]. Ipse Marcus præfectos prætorio, qui primum tantum prætorianis militibus

1. Hoc consilium dein a Constantino *consistorium* appellatum est.

2. Ἐις ἑαυτόν, VII, 5.

3. « Habuit secum præfectos quorum et auctoritate et periculo semper jura dictavit. » Capitol. *M. Ant. Phil.* 11. Cf. Hirschfeld, *Untersuchungen auf dem Gebiete der rœmischen Verwaltungsgeschichte*. Berlin, 876, p 216. — Add. Spartian., *Hadrian.* 8; Capitol., *Pertin.* 2; Tacit., *Hist.* IV, 68; Suet, *Tit.* 6; Lamprid., *Al. Sev.*, 20

4. Orelli, 3574. Dio, LXXI, 5, refert Rufum latinam linguam male intellexisse.

præfuerant, in judicia admisit[1]. Inde factum est ut illi magistratus paulatim maximam auctoritatem adepti sint. Neque apud Patres plerumque eligebantur præfecti vigilum, urbis, annonæ, quorum haud mediocris potestas erat, sed ex equestri ordine. Equitibus enim talia munera Augustus servaverat, quorum ordo quasi seminarium senatus tum factus erat et multo magis quam antea a ceteris civibus secretus. Marcus Antoninus quidem ei, ut pater et avus, favit[2]; non credendum autem eamdem tum equitum potestatem fuisse atque pridem. Eorum gratia apud principem creverat, sed simul magis principi obnoxii facti erant. Equestris dignitatis imminutionem notandum ab Hadriano initium cepisse. Augustus successoresque ejus e libertinis palatii ministeria adsciverant; non enim in numerum principis famulorum se adscribi avita gloria tumefacti homines passi essent : cum autem, firmata imperatorum potestate, quotidie familiares eorum magis pollerent, veluti deorum ministri considerarentur, inter eos recipi optabile visum est, et minime mirum si Hadrianus, quamvis nobilitatem in præcipuo honore haberet, apud domesticos equites admisit[3] : quos ita simul et extulit et depressit, namque, ut antea, libertos iisdem muneribus ornare perseveraverunt principes[4]; præsertim cum de re nummaria ageretur, ita ut

1. Tac., *Ann.* I, 24; Capit., *loc. cit.*; *Mos. et Rom. leg. Coll.* XIV, 3, § 2.

2. Filios et heredes Augustus *principes juventutis* (id est *equitum*, προκρίτους τῆς ἱππάδος) vocaverat « quia æquum videbatur eos primum inter equites locum habere qui principes senatus olim futuri essent. » Commodus sic a patre hoc titulo decoratus est. Lamprid., *Commod.*, 2.

3. Spartian. *Hadrian.* 2. « Ab epistolis et a libellis primus equites romanos habuit. »

4. Nicomedes quidam, primum a cubiculo, dein L. Veri nu-

nobiles libertorum collegæ fierent. Nec brevia et caduca Hadriani de domus administratione decreta fuere, quæ sub ejus successoribus aut permansisse aut incrementa sumpsisse Aurelius Victor testatur[1].

Duorum igitur amplissimorum ordinum vim ac potestatem tum revera extenuatam haud dubium est. Antiquitatem stirpis Marcum parvi fecisse demonstrat ejus filiæ matrimonium cum equite tenui loco, non romano, sed græco genere orto[2].

Nec tamen quia vetus nobilitas ita deprimebatur, omnium civium jus æquatum est, sed novum nobilitatis genus jam apparebat, prout quisque a principe discriminatus fuerat. *Comes imperatoris* nomen honoris erat ut inscriptiones ostendunt ubi inter titulos legitur : « *Comiti D. Veri per Orientem...* » et : « *Comiti ejusdem in Oriente*[3]. » Quantus hujus tituli splendor postea fuerit, nemo ignorat. Ex lege 11, Cod. Just., *de Quæstion.*, 9, 41, comperimus etiam sub Marco Aurelio « eminentissimos » et « perfectissimos »

tritor et educator, præfectus vehiculorum, procurator summarum rationum factus est. — Prosenetem a Marco Antonino manumissum, primum quoque a cubiculo, procuratorem patrimonii, munerum, vinorum, denique ordinatum in castrense videmus. Orelli, 6344. — Multum sane potuerunt liberti sub Marco et Vero Geminas et Agaclytus. Capitol. *M. Ant. Phil.* 15.

1. « Officia sane publica et palatina nec non militiæ in eam formam statuit quæ paucis per Constantinum immutatis hodie perseverant » *Epit.* 14.

2. Capitol. *M. Ant. Phil.*, 20. — Has nuptias Friedlaender (*Mœurs romaines du règne d'Auguste à la fin des Antonins*, trad. Vogel, t. I, p 188) singulari Marci opinioni de omnium hominum pari conditione assignat; a plurimis jam tunc minoris veterem nobilitatem æstimatam esse verisimile est, supradictis ex causis.

3. Renier, *Mélanges d'épigraphie*, pp. 76 et 80. Cf. Orelli, 3186, 3139, 3440, 3652, 5477, 5478, 5479, 6502.

viros distinctos fuisse[1]. Verum est comites imperatorum senatorii ordinis viros exstitisse, senatores novis titulis ornatos fuisse; sed illi ad eam diem inauditi honores immutatum reipublicæ statum demonstrant; jam e solo imperatore omne decus manare videtur. Quantum crevisset ei unice obnoxiorum magistratuum auctoritas, supra diximus; antiquos reipublicæ magistratus rursus omni potestate paulatim privatos addendum est. Antonino enim imperante, octo consules uno anno electi sunt[2]. Mox Commodus quinque et viginti consules eodem temporis spatio facturus erat[3]. Quid aliud quam vacuus titulus penes eos manebat qui, vix munere induti, id exuere cogebantur?

De plebe hic pauca dicenda sunt. Quæ, sub Tiberio comitiorum ad Patres translationem duntaxat inani rumore questa[4], non libertate dignior facta erat, et quo pejorem princeps quisque se præbuerat, eo majore studio illum erat prosecuta. Ei Marcus panem et circenses non denegavit, sed, parum vulgo gratus ob severitatem, ante omnia quia ludos despiciebat, nullum ei nimirum·jus reddidit[5]. Imo eum infra videbimus

1. Kuhn (*Die stædtische und bürgerliche Verfassung des ræmischen Reichs bis auf die Zeiten Justinians*. Leipzig, 1864, I, n. 1442) et Hirschfeld (*Untersuchungen*, p. 274) putant Diocletianum in hac lege D. Marco nova verba adscripsisse quæ non hujus temporis fuissent : quod non omnino probatum; tantummodo dici potest non in inscriptionibus *Perfectissimi* titulum ante A. D. 201 inveniri. Gruter, 3136.

2. Klein, *Fasti consulares*, Lipsiæ, 1881, p. 73. — Augustus... totam mutavit rempublicam, consulibus quidem nil præter nomen, temporis videlicet indicandi gratia, relinquens... Lydus, *De magistr.*, II. Cf. Tac., *Hist.*, II, 71, etc.

3. Lamprid., *Commod.*. 6.

4. Tac., *Ann.*, I, 15.

5. Ἐις ἑαυτόν, I, 5, et *passim*. — « A patre [didici]... neque circa deos superstitiosum esse, *neque circa homines popula-*

iniquas (ut recentioribus apparet) distinctiones inter humiliores et honestiores constituisse.

Ex iis argumentis omnia potuisse principem, neque jam metuendum illi ullum ordinem fuisse constat. Nec longo post intervallo Ulpianus hæc verba scripsit quæ summa imperii ratio facta sunt : « Quod principi placuit, legis habet vigorem[1]. » Nullæ jam leges ; senatusconsulta, quorum olim magna copia fuerat, minus frequentia et ad imperatorum orationes pæne omnia facta[2] ; constitutionum principis numerus quotidie auctus ; jamdiu libertatis amantissimi viri reipublicæ restaurandæ spem amiserant ; cuncta ad orientalem tyrannidem vergebant[3].

Qui in orbe romano effectus hujus immodici imperii philosopho et modestissimo sub imperatore fuerint investigando, videbimus quantum erraverint ii qui hoc optimum regimen fuisse censuerunt[4] : simul autem mirabimur Marci Aurelii assiduum laborem, perpetuam providentiam, benignissimos mores, juris scientiam.

§ 3. — *De Italia et provinciis.*

Tacitus refert Clodium Quirinalem incusatum esse et veneno damnationem antevertisse, quod Præfectus remigum qui Ravennæ haberentur, *velut infirmam na-*

rem auram captantem, blandientem, plebem demerentem, sed sobrium in omnibus et constantem... » *Ibid.* I, 16.

1. L. I, pr. D. *de Const. princip.*, 1, 4. Cf. *Instit. Just.* 1, 2, § 6.

2. Accarias, *Précis de Droit romain* (2e éd. Paris, 1874), I, p. 35.

3. Vid. Fustel de Coulanges, *Instit. polit. de l'anc. France.* Paris, 1875, p. 78.

4. Plurimi superioris sæculi scriptores laudavere « un despotisme bienfaisant. »

tionum, Italiam luxuria sævitiaque afflictavisset[1]. A sociali bello usque ad Hadrianum Italia aliis imperii partibus longe præcellere solita erat: verum sub illo principe ejusque successoribus hæc differentia fere ablata est, seu quod Italiæ jura sunt imminuta, sive quod provinciarum conditio melior facta fuit.

Spartianus nos docet ab Hadriano quatuor consulares per omnem Italiam judices constitutos[2]; Appianus quidem memorat hoc jam antea factum fuisse, sed in desuetudinem abiisse : « Apparet tunc quoque regiones Italiæ distributas fuisse proconsulibus : qui mos quidem longo post tempore renovatus est ab Hadriano imperatore, sed non diu post ejus obitum duravit[3]. » Quod imitatus est Marcus; at pro quatuor consularibus quinque prætorianos designavit, *juridicos* appellatos, inter quos distributæ sunt partes Italiæ ab Augusto terminatæ[4]. Tum fuere juridici : 1° per Transpadum; 2° per Æmiliam et Liguriam; 3° per Apuleiam et Calabriam; 4° per Lucaniam et Bruttios; 5° per Flaminiam et Umbriam. In Etruria Latioque et Campania nullum talem magistratum exstantem videmus, sine dubio quod ibi romanorum magistratuum jurisdictio adhuc vigebat[5].

Illi juridici, ut princeps magis in ditione sua Italica municipia haberet creati, pæne omnibus provinciarum præsidum muneribus fungebantur[6], ita ut Fronto

1. *Ann.*, XIII, 30.
2. *Hadrian.*, 21.
3. *De bello civ.* I, 38.
4. Capitol., *M. Ant. Phil.*, 11.
5. Des Vergers, *op. cit.*, pp. 44 et 45. Vid. et Walter, *Geschichte des rœmischen Rechts,* I, p. 454.
6. Zumpt, *Comment. epigr.*, II, 48; Arnold, *The Roman System of Provincial Administration,* p. 155.

ad juridicum quemdam, familiarem suum, de ejus *provincia* scriberet[1]. Nec multo post mortem Antonini Pii eos primum electos fuisse verisimile est; in inscriptione quadam C. Cornelio Felici Thrello Arimini cives gratias agunt « ob eximiam moderationem et in sterilitate annonæ laboriosam erga ipsos fidem et industriam ut et civibus annona superesset et vicinis civitatibus subveniretur[2]. » Atqui primis Marci Antonini principatus temporibus rei frumentariæ egestatem fuisse a Capitolino traditum est[3], neque ulla postea memoratur. In ea re Marcus potius Hadriani decreta secutus est quam Pii qui, quanquam erga provincias benignus, Italiam semper coluerat et ei multo magis faverat[4]. — Forsan Italicarum civitatum utilitas allegata est[5], sed illarum conditionem in pejus sic mutatam credimus.

Quantum autem in principe erat, provinciarum conditio melior facta est. E stirpe provinciali quidem se ipsum ortum nunquam obliviscebatur[6]. — Olim jus civitatis romanæ provinciarum incolis raro datum

1. *Epist.*, II, 11.
2. Orelli, 3177.
3. *M. Ant. Phil.*, 10.
4. « Aurum coronarium quod adoptionis suæ causa oblatum fuerat, Italicis totum, medium provincialibus reddidit. » Capitol. in *Antonin.*, 4.
5. Eam etiamnunc allegat Duruy, *Hist. des Romains*, v (Paris, 1876), p. 124 : « Les *Juridici* de Marc Aurèle seront des juges plus équitables que certains magistrats municipaux. » Quod sæpe evenisse verisimile est; sed cum municipales magistratus iniqui essent, una civitas laborabat; cum juridici, tota provincia. Ceterum idem auctor paulo post scribit : « Les gouverneurs de province, qui, à l'exemple des *juridici,* veilleront de plus près au bon ordre des cités, en arrêteront la vie. »
6. Ἐις ἑαυτόν, VI, 44.

erat, quippe quod pretiosissimum videretur. Nonnulli ex primis imperatoribus id paulo facilius, parce tamen, tribuerunt, indignantibus iis qui ex veteribus gentibus orti erant[1]; sed præsertim jus Latii largiri solebant[2]. Exeunte autem altero post Christum natum sæculo, aut incipiente tertio, præter libertos qui ex legibus Ælia Sentia et Junia Norbana aut Latini Juniani aut dedititii fiebant, omnes liberi, ait Ulpianus, « in orbe romano qui erant, ex constitutione imperatoris Antonini cives romani effecti sunt[3] ». Quis fuerit hic Antoninus, ambiguum[4], quanquam hodie parum dubitatur ab Ulpiano Antoninum Caracallam, Severi filium, designatum ; quod et Dio affirmat[5]. At cum mirandum videretur pessimum principem tam liberalem erga provinciales fuisse, scriptores crediderunt alii D. Pium[6], alii D. Marcum[7], alii etiam Hadrianum hoc nomine appellatum esse[8]. Spartianus ipse, quamvis

1. De Julio Floro et Julio Sacroviro Tacitus scribit : « Nobilitas ambobus, et majorum bona facta, eoque romana civitas olim data cum id rarum nec nisi virtuti pretium esset. » *Ann.* III, 40. Cf. Suet. *Oct.* 47.

2. Tac. *Ann.* XV, 32; *Hist.* III, 55; Plin. *H. Nat.* III, 3.

3. L. 17, D., *de Statu hominum*, 1, 5.

4. A multis imperatoribus hoc nomen post D. Pium assumptum est : Marco Aurelio, L. Vero (?), Commodo, Caracalla, Geta, Diadumeno, Elagabalo, tyranno quodam Alexandri Severi tempore (Pauly's *Real-Encycl.* V° Antoninus). Aurelii nomen assumpserunt Commodus, Caracalla, Elagabalus, Alexander, Claudius, Carus, Carinus, Numerianus, Diocletianus.

5. LXXVI, 9. — Ulpianus *Divum* Antoninum scripsisset, si mortuum imperatorem significasset.

6. Justiniani *Novell.* LXXVIII, 5.

7. Aurel. Vict. *Epit.* in Marcum. Cf. Mahner (J. P) *Commentatio de Marco Aurelio Antonino constitutionis de civitate universo orbi romano data auctore...* Halae, 1772.

8. Joann. Chrysost. *Ad Acta Apost.* 25.

nullum principem nominet, hanc constitutionem ante Caracallam latam esse credebat : « Majores [Severi], inquit, equites romani ante civitatem omnibus datam[1]. » — Quanquam neque Antoninus neque M. Aurelius generaliter constituisse videntur ut omnes provinciales cives efficerentur, plurimis jus illud impertivere. Multis locis ob eam erga subjectos benevolentiam Aristides rhetor eos laudat.

Parum quidem tum proderat in civitatem acciri. Quondam hujus juris integri duas fuisse tanquam partes scimus : « Unam privatam quæ cum alia quædam, tum connubium et commercium amplecteretur, alteram publicam quæ jure suffragii et honorum contineretur[2]. » At non jam suffragii jus ullum manebat, comitiis sublatis vel ad inanem speciem redactis; relictum unum jus honorum per quod ad honores curules senatoriamque dignitatem civis admitteretur. Hoc ipsum mox exstinctum est ut jus peculiare; scilicet ex quacumque parte imperii oriundi exæquati omnes cives : « Nam jureconsulti qui illa ætate scripserunt, nihil de eo commemorant, Ulpianusque (*Dig.* I, 9, 11.) sine ulla exceptione quicumque senator romanus in aliqua civitate sit, eum muneribus municipalibus liberari docet. Effectum igitur tunc est quod Dio (LII, 19), Mæcenatem facit Augusto suadentem : τούς τε γενναιοτάτους καὶ τοὺς ἀρίστους τούς τε πλουσιωτάτους ἀντεισάγαγε μὴ μόνον ἐκ τῆς Ἰταλίας, ἀλλα καὶ παρὰ τῶν συμμάχων τῶν τε ὑπηκόων ἐπλεξάμενος...[3]. » — Præter jus honorum, ad jura privata civitatis concessio præsertim spectabat. Ut orbis

1. *Sever.* 1.
2. Zumpt, *Studia romana*, Berolini, 1859 (*De propag. civit. romanæ*).
3. Id. *Ibid.*, p. 341.

vere romanus fieret, Antonini Severique effecere, neque postea defuere qui tanti beneficii magnitudinem extollerent : « Humanissime factum est, ait S. Augustinus, ut omnes ad romanum imperium pertinentes societatem acciperent civitatis et romani cives essent[1]. » Quod certe præparavit Marcus si non ipse omnino effecit, orbis terrarum civem his verbis se professus : « Civitas et patria mihi, ut Antonino, Roma; ut homini, mundus; his igitur civitatibus quæ utilia sunt, ea mihi sola sunt bona[2]. »

Eodem tempore vero provinciæ et Italia, quam provinciis ipsam pæne similem factam diximus, majorem quæ adhuc exstabat libertatis partem amittebant. Municipia, quæ sicut parvas liberæ Romæ imagines præstabant, magis atque magis subditæ fuere, ita ut Gellius dicere potuerit : « Obscura, obliterataque sunt municipiorum jura, quibus uti jam per innotitiam non queunt[3]. » Numerus a principe electorum magistratuum auctus est. De juridicis Italiæ jam pauca diximus. Nunc ad curatores transeamus civitatum. « Curatores [M. Antoninus], ait Capitolinus, multis civitatibus quo latius senatorias tenderet dignitates a senatu dedit[4] ». Qui fuerint hi curatores, dubitatum est; nunc eos ab imperatore in civitates missos satis certum est ut rem nummariam curarent[5]. Illud probant græcum eorum nomen λογισταί, nec non verbum *ratio-*

1 *De civit. Dei.* v, 17.

2. Ἐις ἑαυτόν, vi, 44. Memoratione dignum est eum sæpe græca rescripta fecisse L. 5, § 6. D., 50, 6.

3. Aul. Gell. *Noct. att.* xvi, 13.

4. *M. Ant. Phil.* 11.

5. De curatoribus civitatum vid. Zumpt. *Comm. epigr.* i, 148-158; Arnold, *The Roman System of Provincial Administration*, p. 235, seqq.

cinatio quod ad eos verisimiliter pertinet[1], et nonnullæ ex Pandectis leges[2]. Curatores et numero et muneribus et potestatis spatio a quinquennalibus sive censoribus prorsus diversos fuisse recte censet Zumpt, qui inscriptionem laudat ubi idem vir et quinquennalis et curator ejusdem civitatis nominatur[3]. At cavendum ne isti reipublicæ curatores a principe missi, cum aliis curatoribus ad certas res a civitate electis confundantur[4]. Primum ii de quibus disserimus raro creabantur, cum aut eos municipium peteret, aut ejus res implicatæ in se animum principis converterent[5]. Paulatim perpetui facti sunt, et in omnibus municipiis reperti; simul eorum auctoritas maxima facta. Senatus præses curator erat; publicis monumentis studium adhibebat, etc[6]. Papirius Justus in libro secundo *de Constitutionibus*, plurima rescripta M. Aurelii et L. Veri retulisse videtur quæ de curatorum muneribus et periculis statuebant[7].

Hi etiam magistratus, primum ad adjuvandas civitates missi, ad opprimendas eas postea contulerunt; non hos quæsitum munus in usus[8]! At quamvis civi-

1. L. 15, § 7, D., *de Excusationibus*, 27, 1.

2. « Curatores qui ad colligendos civitatum publicos reditus eligi solent. » Vid. titulum 8, lib. L, Dig., *de Administratione rerum ad civitates pertinentium*.

3. *Op. cit.* I, 158.

4. Orelli, 3882.

5. Tum curatores *a Trajano, vel Antonino...* specialiter dati dicebantur. Orelli, 3898, 3899, 3902.

6. Ulpianus *de Officio curatoris reipublicæ* librum composuit. Vid. L. 4, D., *de Decretis ab ordine faciendis*, 50, 9.

7. Una lege 9, D., 50, 8, undecim rescripta Divorum Fratrum de curatoribus memorat.

8. « This system of substituting imperial for municipal officials was probably begun with the best intentions, but it

tatum veteres magistratus potestate sensim privarentur, semper majora iis onera incumbebant; ea quæ fuerint, mox enumerabimus; gravissima fuisse probare facillimum est. Jam sub Trajano quosdam invitos decuriones factos constat[1]. Sub Marco Antonino honores a plurimis evitatos haud dubium, cum tot rescripta legamus ad cogendos recusantes decurionatum suscipere[2]. Frustra in illos personalia privilegia et tituli cumulabantur[3].

De jure municipali decisionum, quas a Marco datas in Corpore Juris invenimus, numerus, quam multæ difficultates ex eo jam orirentur, demonstrat[4].

marked an evil change. The brightest feature in the whole Roman system fades before us, as we see the government official taking the duties and the responsibilities out of the hands of the municipal magistrates... » Arnold, *loc. cit.* — Non omnis culpa in imperatores recidit : ἀναγκάζουσιν μᾶλλον ἢ βούλονται δεσπότας εἶναι τοὺς ἡγεμόνους (Plutarch. *Præc. Polit*, 19).

1. Traj. ad Plin. — Plin. *Epist.* x, 114.

2. L. 11, § 1 et 2, D., *de Muneribus*, 50, 4; l. 6, *eod. tit*; l. 13, 2, 3, 4, *de Dec.*, 50, 2. « Spurios posse in ordinem allegi nulla dubitatio est : sed si habeat competitorem legitime quæsitum præferri eum oportere Divi Fratres Lolliano Avito Bithyniæ præsidi rescripserunt. Cessantibus vero his, etiam spurii ad decurionatum, et re et vita honesta, recipientur : *quod utique non sordi erit ordini, cum ex utilitate ejus sit semper ordinem plenum habere.* » L. 3, § 2, *de Decur.* Cf. Aristid. *Sacr. serm.* IV. Apul. *Metam.* IV. « Chryseros nummularius qui metu officiorum et munerum publicorum opes suas dissimulabat... » Vid. etiam. L. 38, *Ad munic.* 50, 1. « Imp. Antoninus et Verus rescripserunt non minus eos qui *compulsi magistratu funguntur*, cavere debere quam qui sponte officium agnoverunt. »

3. L. 6, § 2, D., *de Interdictis et relegatis*, 48, 22; l. 11, Cod. Just., *de Quæstionibus*, 9, 41.

4. L. 8, 24, 38, D., *ad Munic.* 50, 1; l. 9, *de Adm. rerum.* 50, 8; l. 1, Cod. Just. *de His qui ex officio.* 11, 38; l. 6, D., *de Operibus publicis*, 50, 10; l. 13, D., *de Pollicit*, 50, 8. Add. L. 37, § 2, D., *Ad munic*; l. 6, § 1, *de Mun.* 50, 4.

In inscriptionibus « onus » sæpe pro « honore » aut cum « honore » invenitur[1].

Cur autem municipalia munera tam odiosa facta erant? Eruditissimus scriptor Duruy[2] putat ea non multo graviora tum fuisse quam hodie apud nos : « Cela ne veut pas dire qu'au premier et au deuxième « siècle on fuyait déjà les fonctions municipales. « Quelques-uns les évitaient comme on s'y refuse « souvent chez nous, par désir du repos ou dédain de « la popularité; d'autres pour ne pas risquer leur « fortune. Ainsi, sous Tibère, un Alexandrin se plaint « à cause de l'insuffisance de son bien, qu'on lui im- « pose l'intendance du gymnase. » Et alias scribit : « Je ne crois pas que, à la belle époque du régime « municipal (quod sub Antoninis exstitisse censet), les « décurions aient été soumis à l'obligation de lever « les impôts de l'État. » Papiniani quidem legem 17, § 7, Dig., 50, 1, laudat quæ ambigua satis videtur.

Tot de fortunis decurionum rescripta quæ supra enumeravimus, hanc opinionem vehementer impugnant. Ceterum, utcumque se ea res habuit, jam multis periculis municipales magistratus objiciebantur; civitatis enim debitores persequi debebant, summam pecuniæ, cum magistratum inirent, præbere, ludos edere, etc[3]. Imo civitates a decurionibus plus

1. Orelli, 3940. Arnold, *op. cit*, p. 238.
2. *Hist. des Romains*, v, p. 108.
3. « Imperatores Antoninus et Verus rescripserunt ad magistratus officium pertinere exactionem pecuniæ legatorum, et si cessavarint, ipsos vel heredes conveniri : aut si solvendo non sint, fidejussores eorum qui pro his caverunt. » L. 38, § 2, *ad Munic.*, 50, 1. Legata capere civitates posse ipse Marcus constituerat. L. 73, § 1, *de Legatis*, I, 30; Duruy, *op. cit.*, p. 110.

videntur petiisse quam justum : « Imperatores Antoninus et Verus ita rescripserunt, ait Papirius : *Minime æquum est decuriones civibus suis frumentum vilius quam annona exigit vendere* », sine dubio quod talis mos apud municipia nonnulla introducta erat[1]. Ita ex una parte a principe, ex altera a civibus suis lacessitorum curialium et præsertim magistratuum conditio quotidie pejor fiebat. In paucis locis Marci Antonini temporibus honores appetebantur[2]; verum a tertii sæculi initio in maximarum calamitatum numerum relati sunt. Immunitates quidem aliquot erant; quæ tamen, ex constitutione Marci, securitatem non afferebant. « Quoties penuria est eorum qui magistratum suscipiunt, immunitas ad aliquid infringitur, sicuti Divi Fratres rescripserunt[3]. » Tantæ molis jam erat *splendissimum* ordinem plenum habere!

Non jam timendum erat ne provinciæ nimis liberæ jussa principis contemnerent, at metui poterat ne præsides a principe legati potestate uterentur ut rebellarent. Ita Avidius Cassius, ex Asia oriundus, in Oriente seditionem movit; cum interemptus est, Marcus constituit ut nemo ei provinciæ præesset ubi natus esset[4].

1. L. 3, D., *de Lege Julia de annona*, 48, 12. Cf. Marcian. L. 8, *ad Munic.* 50, 1; Paul, L. 5, *de Adm. rerum ad civit. pertin.* 50, 8.
2. Front. *Ad Amic.* II, 6.
3. L. 11, § 2, *de Muneribus*; Cfr. L. 13, § 3, *de Decurionibus*; l. 5, *de Jure immunitatis*.
4. Dio. LXXI, 31. Zonar. *Ann.* XII, 3. — Fortasse et Marco in animo erat prohibere quin præsides studiis erga propinquos vel amicos in jure dicendo indulgerent. Le Nain de Tillemont, *Hist. des empereurs*, sec. éd. II, p. 386. Iisdem de causis præsidibus uxores ducere e provinciis suis non licebat, l. 38, § 2, D., *de Ritu nuptiarum*, neve prædia comparare in iis provinciis. L. 6, *de Officio proconsulis*, 1, 16.

Quamvis imperatores quam maxime provinciis tum faverent, incolarum numerus imminuebatur, neque ad tuendum imperium milites reperiebantur. « Hispaniis exhaustis, ait Capitolinus, Italica allectione contra Trajani præcepta verecunde consuluit[1] (Marcus Aurelius). » Et alias : « Servos, quemadmodum bello punico factum fuerat, ad militiam paravit, quos *Voluntarios* exemplo volonum appellavit. Armavit etiam gladiatores quos *Obsequentes* appellavit. Latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ milites fecit. Armavit et Diocmitas; emit et Germanorum auxilia contra Germanos[2]. » In ipsa Italia, haud procul ab Urbe, prædones agros vastabant; at jamdiu Italiam latifundia, immensæ servorum nationes, frumenti penuria perdiderant[3]; eadem et alia mala jam tunc provincias populabantur, nec vectigalia a fundorum pauperioribus dominis certis et debitis temporibus solvi poterant[4]. Quod soli præsides ditiores fierent, provinciales querebantur[5].

§ 4. — *De collegiis.*

Nulla libertas, ut supra ostendimus, in pristinis ordinibus durabat; ne nova corpora auctoritatem aliquam

1. Capitol. *M. Ant. Phil.*, 11.
2. *Ibid.*, 21.
3. Tac. *Ann.* III, 53, 54.
4. « Imperatores Antoninus et Verus rescripserunt in vectigalibus ipsa prædia, non personas conveniri, et ideo possessores etiam præteriti temporis vectigal solvere debere, eoque exemplo actionem, si ignoraverint, habituros. » L. 7, D., *de Publicanis*, 39, 4.
5. Vid. Mommsen, *de Collegiis et sodaliciis Romanorum*, Kiliae, 1843, p. 78 seqq.

assumerent, imperatores summa cura caverunt. In epistolis Trajani ad Plinium timorem novorum collegiorum videmus a principe exhibitum pæne ridiculum apud orbis dominum [1]. Civem plurium civitatum esse licebat, non pluribus collegiis allegi, vel permissis. « Non licet amplius quam unum collegium licitum habere, ut est constitutum et a Divis Fratribus; et si quis in duobus fuerit, rescriptum est eligere eum oportere, in quo magis esse velit : accepturum ex eo collegio, a quo recedit, id quod ei competit ex ratione quæ communis fuit [2]. » Nec modica erat collegiis illicitis pœna imposita, quæ eadem erat atque majestatis reorum [3].

Addendum tamen Marci temporibus Senatum permisisse collegiis licitis legari, quod propter supradictam provisionem sine periculo erat [4].

§ 5. — *De religionibus.*

Num major religionum exstiterit libertas quam Patrum populique romani, provinciarum, municipiorum, collegiorum, dispicere nunc mihi in animo est. Magni momenti sane materia, cum a multis inter sævissimos christianorum persecutores Marcus numeretur, etiam a virtutis et philosophiæ ejus laudatoribus, hanc unicam vitæ ejus labem notantibus [5], alii autem pace fruitos christianos sub Antoninis censeant; et res eo

1. Plin. *Ep.* X, 43; x, 97.
2. Marcian. L. 1, § 2, D., *de Collegiis*, 47, 22.
3. L. 2, *eod tit.* Th. L. 1, D., *ad legem Juliam majestatis*, 48, 4.
4. L. 20, D., *de Rebus dubiis*, 34, 5.
5. H. Th. Buckle, *Hist. of Civilization in England.* London, 1868, I, p. 185 et 186.

difficilior est quod apud Ecclesiæ scriptores utraque opinio gravissima argumenta in promptu habet.

Ante omnia videamus quomodo Romani erga externas religiones se gesserint. Non uno verbo tali quæstioni responderi posse opinor; multa enim accurate distinguenda sunt. Attamen generaliter asseri potest hanc omnium religionum æquam et benignam patientiam quam hodie *tolerantiam* vocamus a Romanis fere ignotam fuisse. Gibbon aliique plurimi ut virtutem laudant quod tantummodo a natura veterum religionum proficiscebatur : non mirandum si iidem qui deorum millia jam honorabant, nova in Olympum numina persæpe introducebant[1]; sed non credendum est omnium variarum gentium deorum cultum promiscue acceptum esse.

Non enim Romæ ex singulorum fide pendebat religio, sed ex summa civitatis auctoritate; sacerdotes magistratus erant; qui nullum vel unum tantum Deum exstare putabant, publice tamen Deos proprios civitatis excolebant. Novi dei non admittebantur nisi per Senatus decretum. « Separatim nemo habessit deos, ait M. Tullius, cum optimæ reipublicæ leges dat; neve novos, neve alienos, nisi publice adscitos, priva-

1. « Toleration produced not only mutual indulgence, but even religious concord... Such was the mild spirit of antiquity, that the nations were less attentive to the difference, than to the resemblance of their religious worship. » (*Decline and Fall of the Roman Empire*, ch. II). — Multo ve iorem sententiam illam existimo quam B. Constant pronuntiavit : « La tolérance que l'on vante dans le Polythéisme ne reposait point sur le respect *que la société doit aux opinions des individus.* Les peuples qui professaient le Polythéisme, tolérants qu'ils étaient les uns envers les autres, comme corps de nations, n'en méconnaissaient pas moins ce principe éternel, seule base de toute tolérance éclairée, que *chacun a le droit d'adorer son*

tim colunto[1]. » Facillime Senatus eos cultus admittebat qui reipublicæ utiles viderentur; ex pietate id antiquitus fecerat ut alienos deos Romæ conciliaret; dein, cum philosophia numinum multitudini fidem abstulisset, ut animos asseclarum devinciret. Sed semper illud quod vocamus *raison d'État* sequebatur, et privatorum opiniones parvi pendere solebat.

Cum autem in immensum crevisset imperium, in variis orbis romani partibus, varium agendi modum variosque usus animadvertimus. In Orientis regionibus, ubi græca lingua et græci mores prævalebant, quamvis multæ essent de religione et philosophia opiniones, cunctæ tamen tolerabantur. Quod et Cremutius Cordus apud Tacitum testatur : « Non attingo Græcos, inquit, quorum non modo libertas, etiam libido impunita; aut, si quis advertit, dictis dicta ultus est[2]. » Hadrianus Alexandriæ mirabatur quod plurimæ superstitiones et religiones ibi adeo confunderentur ut unam viderentur efficere[3].

Idem imperator, qui primus inter optimos principes Augusti instituta deseruit, potius græcus quam romanus, maxime ad omnibus religionibus favendum pronus fuit, ut postea Alexander Severus[4].

Dieu de la manière qui lui semble la meilleure. » (*Du Polythéisme romain.* Paris, 1833, II, 3 8).

1. Cic. *de Legibus*, II, 8; Cf. Tert. *Apol.* 5. De religione in imperio romano primis post Ch. n. temporibus vid. A. Schmidt, *Geschichte der Denk-und Glaubensfreiheit im ersten Jahrhundert der Kaiserherrschaft,* Berlin, 1847; G. Boissier, *L religion romaine d'Auguste aux Antonins.* Paris, 1874, 2 v.

2. *Ann.* IV, 35.

3. Hadrian. Aug. ad Servianum cos., *ap. Vopisc. in Saturn*, 8. De religionum quæ in Oriente vigebant concordia vid. Renan, *Marc-Aurèle*, p. 43.

4. Lamprid. *Alex.* 21, 42.

In Occidente autem durior populus minus alienas religiones patiebatur ; ut Bacchanalia omittamus quæ propter flagitia multa prohibere necesse fuerat, apud Dionem Mæcenas Augustum hortatur ut deos civitatis honoret et ab omnibus honorari jubeat [1]. Druidarum religionem ille princeps qui antiquos mores restituere volebat, civibus interdixit, dein Tiberius et Claudius penitus abolevere aut potius abolere conati sunt [2].

His cognitis, breviter priorum christianorum sortem exponamus. Apud Suetonium, Claudio imperante, eos primum videmus summæ potestati suspectos , cum Judæis mixtos : « Judæos , ait Suetonius , impulsore Chresto assidue tumultuantes, Roma (Claudius) expulit [3] ; » quibus verbis ipsos christianos designatos esse parum ambigitur. Et Claudius veterum populi Romani morum studiosissimum fuisse quis nescit ? « Splendidum virum, refert idem scriptor, Græciæque provinciæ principem , verum latini sermonis ignarum , non modo albo judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem

1. L. 11, 36.

2. Plin. *H. N.* XXX. 4. Suet. *Claud.* 25. Fustel de Coulanges in eruditissimo libro *Inst. polit. de l'anc. France,* p. 59 putat apud Suetonium hoc verbo « religione » tantum cultus cærimonias significari. Druidæ enim tribus post Chr. n. sæculis repeto riuntur, nec puniti fuisse videntur. — Quod solummodo probat Tiberium Claudiumque non omnino successisse, et principes postea mitiores factos quia druidæ minus timendi erant et benigniores mores. Vid. etiam *Revue archéologique,* 1880. — Hic contradicimus alii docto scriptori Dubois-Guchan in cujus libro *Tacite et son siècle,* Paris, 1861, I, p. 490) legitur : « L'intolérance était aussi radicalement grecque que la tolérance était fondamentalement romaine. » Et Marcum Aurelium laudat Julianumque « modérés, parce qu'ils étaient romains. » Imo Julianus, græca philosophia imbutus, græcos libros scripsit; quod ad M. Aurelium attinet mox videbimus.

3. *Claud.* 25.

redegit[1]. » — Nero primus suppliciis christianos afflixit; etiam tum contemptos et parum cognitos[2]. — Num Domitianus Christianos vexaverit, dubium est[3].

Raro igitur primo sæculo christiani apud ethnicos scriptores nominantur; Judæi autem multo sæpius, adhuc, ut jam diximus, ab iis male discreti.

Jam Tiberius hos acriter insectatus erat[4]. Sub eo actum de sacris Ægyptiis Judaicisque pellendis : factumque Patrum consultum ut quatuor millia libertini generis, ea superstitione infecta, quis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrociniis, et *si ob gravitatem cœli interissent, vile damnum* : ceteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent[5]. Quæ ultima sententia Ti-

1. *Claud.* 16.

2. « (Post incendium Urbis) abolendo rumori, Nero subdidit reos et quæsitissimis pœnis affecit, quos, *per flagitia invisos*, vulgus Christianos appellabat... repressaque in præsens exitiabilis superstitio *rursus erumpebat*, non modo per Judæam, originem ejus mali, sed per Urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum, multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam *odio humani generis* convicti sunt. » Tac. *Ann.* xv, 44. — Hæc verba « rursus erumpebat » non unam persecutionem indicare mihi videntur.

3. Euseb. *Hist. eccles.* II, 18. — Cf. Aubé, *Hist. des persécutions de l'Église jusqu'à la fin des Antonins*. Paris, 1875, c. IV.

4. Augustus erga eos mitior fuerat (Joseph. *Antiq. jud.* XVI, VI, 2). — Tertullianus in *Apolog.* 5 scribit : « Tiberius cujus tempore nomen christianum in sæculum intravit, annuntiata sibi ex Syria Palæstina quæ illic veritatem istius divinationis revelarent, detulit ad senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverit, respuit : Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. » Quod parum verisimile est.

5. Tac. *Ann.* II, 85.

berium non publicæ tranquillitati modo providisse, sed ad imperii religionem eos reverti cogere voluisse probat[1]. De bellis judaicis non hic locus est disserendi in quibus non de religione sola agebatur. Domitiano autem imperante, iis gravissima tributa indicta sunt[2].

Notatione dignum est (et hoc ad melius cognoscendum quid sub Antoninis effectum fuerit non inutile est) fere his omnibus casibus in Italia tantum, non in Oriente contra Christianos vel Judæos animadversum esse. In ceteris Occidentis partibus tum perpaucos christianos exstitisse probabile est.

Quid ex illa brevissima narratione concludemus? Nullam legem, nullum generale principis edictum adversus Christianos, inter Judæos sæpe annumeratos, et a plurimis despectos, fuisse. Sed prout quisque princeps ad mansuetudinem vel sævitiam pronus erat, eos aut insectabatur, aut omittebat : quod et erga Judæos magosque et astrologos et alios ejusdem generis homines fiebat. Eos autem cum princeps vexaret, modo scelerum omnino a religione discrepantium incusabat, modo ob ipsam religionem exagitabat; neque, ut mox videbitur, criminum tituli deerant, ut damnarentur; in utroque casu, eos tantum Romæ vel in Italia proscribere satis habebant. Præterea facile credimus in provinciis præsides et civitatum magistratus sæpius de Christianis cognovisse, ubi publicus rumor eos maxime persequeretur[3].

1. Attamen Dubois-Guchan, *op. cit.*, p. 452, Tiberii in omnes religiones benignitatem, ut Claudii, ad cælum extollit.

2. Suet. *Domit.* 12.

3. Quam supra laudavimus Taciti sententiam « haud perinde in crimine incendii quam odio generis humani convicti » significat « quod humano generi odio erant. » Vid. C. de la Berge, *Essai sur le règne de Trajan*, p. 207, n. 2. — Christianos a

Hæc usque ad Nervam. Tum magis a Judæis discretos Christianos fuisse apparet. Sub Nerva Trajanoque quæ fuerit Christianorum sors, minus obscurum, nec tamen omnino certum est. Vix memorare necesse est epistolam quam ad Plinium Trajanus scripsit, interrogantem qua pœna castigandi essent[1]. Non hic locus est de ejus fide disserendi, sed verisimile est illam e longiore excerptam, quia nunquam tam breves litteras etiam de minimis rebus Trajanus mittebat; nec rursus posterioris ætatis falsarium ullum exstitisse arbitror qui Plinii Trajanique scribendi artem tam callide imitari posset. — Non ex Trajani mandato apertissime apparet quæ pœna Christianorum esset, aut utrum solum Christiani nomen puniretur, an tantummodo aliorum criminum convictis pœna irrogaretur; nec sibi omnino constare princeps videtur cum dicat : « Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. » Et rursus : « Conquirendi non sunt; si deferantur et arguantur, puniendi sunt[2]. » Ceterum, secundo post Christum sæculo, imo postea, Trajanus Christianis non infensus fuisse putabatur[3]. Nusquam alibi in Plinii litteris christiani nominantur.

Post Trajanum multa invenimus obscura et inter se contraria. Hadrianus, potius græcus quam romanus[4],

plebe atrociorum facinorum vehementer insimulatos, aliquando Judæis incitantibus, certum est.

1. Plin. *Epist.* x, 97, 98. De his vid. C. de la Berge, *op. cit.*, p. 209 et 210; Aubé, *op. cit.*, c. v. Cf. Variot. *de Plinio Juniore et imperatore Trajano apud Christianos...* Lut. Paris., 1878, p. 83.

2. Cf. Tertull. *Apol.* 3.

3. Sulp. Sev. *Hist. sac.* II. 45; « Sæviri in eos vetuit. » Cf. Melitonem in *Apologia*; Euseb. *Hist. eccl.* IV. 26.

4. Multa græca rescripta ejus, Titique Antonini et Marci, [illegible]

neque ulli superstitioni deditus, non inter Ecclesiæ hostes fuit, erga omnium religionum cultores pariter benignus. « Christo templum facere voluit [Alexander Severus], ait Lampridius, eumque inter deos recipere. Quod et Hadrianus cogitasse fertur, qui templa omnibus civitatibus sine simulacris jusserat fieri, quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur Hadriani : Ἀδριανεῖα. Quæ ille ad hoc parasse dicebatur, sed prohibitus est ab iis qui consulentes sacra repererant, omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, et templa reliqua deserenda[1]. » Quinetiam apud aliquot ecclesiasticos scriptores Hadriani rescriptum ad Minucium Fundanum erga Christianos mitissimum legitur : quod fictum hodie plerique putant[2].

Utcumque se ea res habeat, sub Hadriano pauci martyres; Antonino Pio imperante, *pax ecclesiis fuit.*[3] Jam numerosiores Christiani caput attollunt, ad principem apologias mittunt, nec memoratur Aristidem vel Quadratum aliosque ejusmodi orationum auctores punitos. Titi Antonini quoque litteræ referuntur, aperte quidem falsæ, in Christianos clementissimæ[4]; sed non dubium est eum a Christianis potius patronum quam persecutorem habitum esse.

Nunc ad Marcum Antoninum transeamus. De illo om-

Pandectis referuntur. L. 37, 48, D., *de Judiciis*, § 1; 1. D., *de Appellat.*, 49, 1; 5, D., *de Jure immunit.*, 50, 6, etc.

1. Lamprid. *Alex.* 42.

2. Vid. *Apolog.* Scti Justini priorem; *Apol.* Scti Melitonis, in *Spicileg. Solesmensi*, II; Dion. (Xiphil.) LXX, 3; Oros. VII, 13; Euseb. *Hist. eccl.* IV. 8. At hoc rescriptum Tertulliano ignotum. Cf. Aubé, *op. cit.*, c. VI.

3. Sulp. Sev. *Hist. sac.* II. 46.

4. Cf. Aubé, *op. cit.*, c. VIII. Contra C. Bayet, *de titulis Atticæ christianis antiquissimis*, Lut. Paris., 1878, p. 8, hoc rescriptum non rejiciendum putat.

nino diversa tradita sunt. Eusebius litteras, quas alii quidam ex Antonino Pio profectas dicunt, Marco assignat, in queis imperator non modo constitutam a Trajano juris regulam confirmat, scilicet non conquirendos esse Christianos, sed etiam eorum pietatem prædicat : « Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus Aug. Armenicus Pontifex Maximus, Tribunitiæ potestatis XV, Consul III, Communi Asiæ, S. Equidem scio Diis ipsis curæ esse, ne hujusmodi homines lateant. Multo enim magis illis convenit, punire eos, qui colere psos recusant, quam vobis qui eorum, adversus quos tumultuamini, sententiam ac propositum amplius confirmatis, dum eos accusatis tanquam impios. Illis autem longe optabilius fuerit, ut in jus vocati mortem oppetere videantur pro Deo suo, quam ut incolumes remaneant. Ita victores evadunt, animas suas potius projicientes, quam ut ea facere, quæ vos jubetis, in animum suum inducant. Ceterum de terræ motibus qui vel facti sunt vel etiamnunc fiunt, non absurdum videtur vos commonere qui et animos abjicitis, quoties hujusmodi casus contingunt, et vestra cum illorum institutis comparatis. Atque illi quidem majorem tunc fiduciam in Deo collocant. Vos vero per omne illud tempus, quo præ imperitia labi mihi videmini, Deos negligitis, et tum alias cærimonias insuper habetis, tum cultum Immortalis illius. Et Christianos, qui illum venerantur, expellitis, et ad mortem usque infestius perurgetis. Porro de his hominibus provinciarum rectores Divo patri nostro antea scripserunt. Quibus ille rescripsit ejusmodi homines nullo molestu afficiendos esse, nisi forte contra statum imperii romani aliquid moliri viderentur. Sed et multi a me de illis retulerunt: quibus ego patris mei constitutionem secutus res-

pondi. Quod si quis adhuc pergit, cuiquam illorum negotium facessere ex eo quod christianus sit, delatus quidem crimine absolvatur, tametsi constet eum reipsa christianum esse. *Delator autem ipse pœnas luat.* Proposita Ephesi in publico conventu Asiæ[1]. »

Nemo ignorat Quadis cladem per nimbos et fulmen incussam, et legionis christianæ precibus, si ecclesiasticis scriptoribus credatur, debitam. « Scribit [Tertullianus][2] litteras Marci gravissimi imperatoris adhuc sua ætate exstitisse, quibus testaretur exercitum romanum in Germania, cum aquæ penuria jamjam periturus esset, Christianorum precibus esse servatum. Eumdem quoque principem capitis pœnam comminatum esse dicit accusatoribus Christianorum. Quibus ista subjungit : « Quales ergo leges istæ quas adversus nos soli exercent impii, injusti, truces, vani, dementes? quas Trajanus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos, quas nullus Hadrianus, quanquam curiositatum omnium explorator, nullus Vespasianus, quanquam Judæorum debellator, nullus Pius, nullus Verus impressit[3]? » Aliqui etiam dicunt epistolam a

1. Euseb. *Hist. eccl.*, IV, 3.
2. *Apologet.* 5.
3. Euseb. *H. eccl.*, V, 5. — Oros. VII. 5. « Exstare etiamnunc apud plerosque *dicuntur* litteræ Imp. Antonini ubi invocatione nominis Christi per milites christianos et sitim illam depulsam et collatam fatetur fuisse victoriam. » — Xiphil. LXXI, 9. « His rebus Marcum vehementer obstupefactum, edicto Christianos honorasse ipsamque legionem *Fulminatricem* appellasse, atque his de rebus epistola etiam Marci exstare *dicitur*. » — Rescriptum exscribit Baronius ad ann. 176 : « ... Censeo autem neminem quod christianus sit esse in crimen et in judicium vocandum. Quod si quis inventus fuerit crimini dare cuipiam quod christianus sit, ei quidem qui in crimen vocatur, manifestum fieri volo, si nihil aliud objectum est quam quod

Marco missam esse ad Hieropolitanum Episcopum cum ipsius filiam a dæmone possessam exorcizavisset[1].

Ut hanc fabulam omittam, utraque epistola supradicta non satis probata est. Priorem enim suppositam multi credunt, quippe quæ Sancto Justino, Tertulliano, Lactantio ignota sit; posteriorem quoque falsam abunde ostenderunt Westenbergius et multi alii[2]. Si tale rescriptum exstitisset, cur apologiæ essent scriptæ? nec totam legionem unice ex Christianis collectam tunc fuisse verisimile est. — Certum autem tertio post Chr. n. sæculo Marcum Antoninum, veluti patrem avumque, Ecclesiæ non infestum a multis putatum esse.

Sed alii ab iis omnino dissentiunt : nam sub Marco Aurelio aliquot martyres in Asia, primis principatus temporibus, multos Lugduni ultimis necatos fuisse memorant : et notandum est nullum novum edictum tum ab imperatore promulgatum videri. Quibus credendum est? Utrum pejor an melior Christianorum conditio a Marco Aurelio facta est quam antea?

Inter jus et factum distinguendum censeo. Jus idem mansit ac sub Trajano Hadrianoque et Tito Antonino, sed majora Christianorum pericula facta erant ob odium plebis. Tum magnus fuit calamitatum imperii

christianus sit tantum dimitti; eum autem qui christianum accusavit, *vivum exuri.* »

1. Vid. de Champagny, *les Antonins,* t. III, p. 19, n. 2.

2. *Divus Marcus,* in Præfat. — Addendum legionem non *Fulminatricem,* ut Xiphilinus eam nominat, sed *Fulminatam* appellatam esse, longe ante Quadorum cladem. Cf. Grotefend, *Geschichte der einzelnen rœmischen Legionen in der Kaiserzeit,* Pauly's *Real Encycl.* IV, p. 868, 901. — E. Renan putat duas legiones Fulminatas nominatas esse. *Marc-Aurèle,* c. XVIII.

acervus; inedia, diluvia, pestis, bella cum barbaris romanum imperium afflictaverunt : neque plebs sicut philosophi, veteres vel novas superstitiones contemnebat; existimabat contra deos infensos quod templa desererentur, cærimoniæ in desuetudinem abirent[1]; inde tumultus qui etiamsi invitos magistratus inertia excutiebant. Ad tribunalia rapiebantur rei, a præside interrogabantur, nec causæ deerant cur condemnarentur[2]. Majestatis lex incerta satis et fere in infinitum porrecta; magicarum artium, quarum multi Christianos insimulabant[3], et novarum religionum invectores sævissime puniebantur[4], et ipse Marcus generaliter animadvertendum rescripserat in eos qui aliquid facturi essent « quo leves hominum animi superstitione numinis terrerentur[5]. » Jam supra quanto rigore in illicitis collegiis corporati homines castigarentur diximus; Marcianus quidem scribit religionis causa collegia coire non prohiberi[6], sed Christiani facile contra rempublicam nova moliri existimabantur; omnesque hujus ætatis ecclesiastici scriptores talem incusationem confutare solebant[7]. Quæ quidem

1. Cf. Heysler, *op. cit.*, p. 7.
2. Cf. Le Blant, *Bases juridiques des poursuites dirigées contre les martyrs.* (Cptes rendus Ac. insc. 1866, p. 358).
3. Hæc verba : « impietatis reus » sæpissime pro his : « majestatis reus » inveniuntur.
4. Paul. *Sent.* v, 21, § 1, seqq.
5. L. 30. D., *de Pœnis*, 48, 19.
6. L. 1, § 1, D., *de Collegiis*, 47, 22.
7. Hoc sæculo *sacrilegium* vocabatur tantum templorum spoliatio : quod raro Christianis objiciebatur. Paul *Sent.* v, 19. Christiani principes primum sacrilegos vocaverunt « qui divinæ legis sanctitatem aut nesciendo omitterent, aut negligendo violarent et offenderent. » Cf. Aubé, *op. cit.*, p. 190; C. de la Berge, *op. cit.*, p. 211, seqq; A. de Ceuleneer, *Septime-Sévère*, p. 223.

Smyrnæ acciderunt, primis imperii Marci temporibus, persecutiones brevissimæ fuisse videntur. At in Christianos odium magis atque magis auctum, apologiæ numerosiores factæ; denique Lugduni plebis ira erupit. Marcus a legato interrogatus (quod nullum antea edictum de Christianis generale exstitisse manifestum facit) ceterorum imperatorum mandata confirmavit[1].

Scriptores nonnulli Marco Aurelio Christianos singulariter invisos fuisse censuerunt, quamobrem magis ab eo quam ab aliis principibus vexatos. Minime hoc, ut videbimus, exploratum est.

Alii erga deos pietatem ejus obtendunt : pius quidem fuit, sed non potius erga vetera civitatis numina quam erga alienigenarum deos; omnes enim publice colebat[2]; simul unum Deum esse imo corde opinabatur[3] et cunctas religiones juxta habebat[4].

1. Ruinart, *Act. sinc. Epist. Eccles. Vien. et Lugd.* Braune quidem scribit : « Ein Decret in den Acten des heiligen Symphorianus trægt den Namen des Aurelianus. Allein, wenn man erwægt, dass das Martyrerthum des Symphorianus kaum unter Aurelian Statt gefunden hat, ausserdem die Art und Weise von den Christen zu sprechen, auf einen neueren Ansprung ihrer Religion hinweist : so wird es glaubhaft dass die namen *Aurelius* und *Aurelianus* verwechselt wurden. Nach diesen Decret, ordnete M. Aurelius an, gegen hartnæckige Christen verchiedene Todesstrafen anzuwenden, um ihre Standhaftigkeit zu erschütten. » (*Op. cit.*, p. 73, 74.) Quæ opinio mera conjectura est.

2. Capitol. *M. Ant. Phil.* 13, 23.

3. Hoc certissimum habemus, quamvis frequenter *de diis* disserat.

4. Errasse igitur mihi videtur H. Th. Buckle, cum scripsit: « [Commodus and Elagabalus] were too reckless of the future, too selfish, too absorbed in their own infamous pleasures to mind whether truth or error prevailed; and being thus indifferent to the welfare of their subjects, they cared nothing about the progress of a creed, which they as Pagan emperors,

Diversa præcepta Stoicorum et Christianorum talis inimicitiæ originem fuisse alii putant[1]: Stoicos enim in ipsis, Christianos apud Deum malorum remedium quæsivisse. — At nunquam Stoici Epicuri discipulos propter opinionum dissimilitudinem capite damnavere : ista igitur sententia omni fundamento caret.

Alii tandem Christianorum ipsorum, quorum jam tum numerus frequens erat, ferocitatem incusant, summum in animos imperium inhiantium, omnes cultus evertere volentium[2]. Quod non omnino, Antoninis imperantibus, accipiendum est. *Libertatem fidei* solummodo tum Christiano rogabant. « Tantum humani juris et naturalis potestas est unicuique quod putaverit colere, nec alii obest et prodest religio, ait Tertullianus. Sed nec religionis est cogere religionem quæ

were bound to regard as a fatal and impious delusion. They therefore allowed christianity to run its course, unchecked by those penal laws which more honest, but more mistaken rulers would assuredly have enacted. *We find accordingly that the great enemy of Christianity was Marcus Aurelius,* a mind of kindly temper, and of fearless unflinching honesty, but whose reign was characterized by a prosecution from which he had refrained had he been less in earnest about the religion of his fathers. » (*History of Civilization in England.* London, 1868. I, p. 185, 186). De pietate Marci, vid. Marquardtu. Mommsen. *Handbuch der rœmischen Altert.* VI, 72 et 73.

1. Braune, *op. cit.*, p. 75.

2. « L'immense intolérance du christianisme qui rompait à la fois avec toute science humaine et avec toutes les religions, semblait devoir ébranler les bases même de l'empire. Surpris par l'explosion de cette doctrine jalouse, qui ne leur laissait d'autre alternative que son triomphe ou leur ruine, les Romains se défendirent. Leur défense fut en quelque sorte la défense de la tolérance contre l'intolérance. Seulement, c'était une société corrompue qui luttait contre une société dévouée et enthousiaste; la corruption sanguinaire des Romains, se mêlant à la lutte, la transforma en une persécution hideuse... » E. de Suckau, *op. cit.*, p. 177.

sponte suscipi debeat, non vi[1]. » Imo ad imperii magnitudinem principumque potestatem se summa ope atque opera conferre velle profitebantur. « Est necessitas nobis orandi pro imperatoribus, scribit idem Tertullianus, etiam pro omni statu imperii rebusque romanis, quod vim maximam universo orbi imminentem ipsamque clausuram sæculi acerbitates horrendas comminantem, romani imperii commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, et dum precamur differri, romanæ diuturnitati favemus[2]. » Nunquam Christiani rebellavere, et in Apologiis imperatores maxima veneratione colebant[3].

Semel in libris εἰς ἑαυτόν de Christianis mentionem facit Antoninus, quos quidem non approbat, contra quos autem non invehitur, nedum eos pro futuris orbis dominis habeat[4].

Haud facile sciri potest qui esset eorum numerus; sed a Tertulliano eum multum amplificatum fuisse parum dubium est[5]. Eos Plutarchus omittit et Lucianus male cognoscit, quamvis plures in Græcia et Oriente essent quam in Occidente[6].

1. *Ad Scapul.* 1.
2. Tertull. *Apolog.* 32.
3. « Quod si hæc tuo jussu fiunt, recte atque ordine facta sunto. Neque enim fieri potest ut justus princeps aliquid unquam injuste constituat.... Hæc philosophiæ secta quam profitemur, prius quidem viguit apud barbaros. Postea vero cum provinciis imperii tui illuxisset, principatu magni illius Augusti qui unus ex majoribus tuis, faustum prosperumque omen exstitit. Ex eo siquidem tempore maximis incrementis aucta est majestas imperii romani cujus tu heres ac successor, aspirantibus omnium votis, potitus es. » Scti Melitonis *Apolog.* ad M. Aurelium Imper. in Spicil. Solesm. II.
4. Ἐις ἑαυτόν, XI, 3.
5. *Apologet.* 1 et 37.
6. Vid. Duruy, *Hist des Romains.* V, p. 476. Constantino im-

Quæ exposuimus, supradictas historiarum scriptorum dissensiones explicant. Cum Marcus Antoninus ipse nihil contra Christianos novi decrevisset, benignitatem ejus laudavere multi; quinetiam, cum atrociter in Christi religionem ab imperatoribus quibusdam sæviretur, eum illi singulariter favisse confinxerunt. — Cum vero sub eo plures martyres quam antea fuissent, eum infensissimun Ecclesiæ alii credidere. Ambæ opiniones pariter veræ aut falsæ dici possunt.

De Judæis jam quædam narravimus : qui, per fere omnes imperii civitates sparsi, modo ab imperatoribus exagitati erant, modo tranquilli sed contempti vixerant [1]. De eorum in Palæstina rebellionibus nihil dicam, maxima sævitia repressis, nec post Hadrianum vel Antoninum Pium iteratis. Perpauca de iis, imperante Marco, novimus. Cum is Orientem invisit, inquietem et squalentem nationem despexit, ut Ammianus testatur [2]. In judaicis libris plura, sed commenticia aut saltem minime verisimilia reperimus. Si illis credimus, eorum sacerdos Rabbi Jehuda ha-Nasi principi cuidam romano, quem Antoninum ben-Asveri vocant, amicissimus fuit. Plurimos Antoninos fuisse supra observa-

perante, nullus Christianus in senatu, Symmachi tempore nobilissimæ gentes ethnicæ erant. — De veterum scriptorum valde diversis supputationibus vid. E. Renan, *Marc-Aurèle,* p. 447.

1. Vid. Kuhn, *Die stædtische Verfass. des ræmischen Reichs,* Leipzig, 1864, I, p. 23. n. 98; Marquardt u. Mommsen, *Handb. der ræmischen Alterthümer,* VI, p. 80 A Julio Cæsare benigne habiti erant, qui Orientalibus religionibus faverat. Suet. *Cæs.* 42, 84. Multi eos Christianis anteferebant quia judaica religio propria unius populi erat. Cels. ap. Orig. V, *passim.*

2. « Ille enim cum Palæstinam transiret, Ægyptum petens, fœtentium Judæorum et tumultuantium sæpe tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse : O Marcomanni ! O Quadi ! O Sarmatæ ! tandem alios vobis inertiores inveni. » XXII, 6.

vimus; neque illius sacerdotis ætas præcise nota. Inde multæ disceptationes. Putant quidem illum Antoninum Marcum fuisse prius a Severo proavo quam a Tito Antonino adoptatum[1]. Infirmis, ut mihi videtur, ex argumentis res colligitur; nusquam apparet M. Antoninum Judæis favisse. In Pandectis quidem legimus : « Eis qui judaicam superstitionem sequantur, D. Verus et Antoninus honores adipisci permiserunt[2]. » Sed pro « Vero et Antonino » in aliis codicibus legitur : « Severus et Antoninus », id est Caracalla. Sic legi debere plerique putant quia in rescriptis nunquam Verum ante M. Aurelium nominatum dicunt[3]. Illud quidem perrarum est, non tamen nulla exempla inveniuntur : in leg. 13, D., *de Excusat.*, 27, 1, Modestinus constitutionem quamdam laudat *D. Veri et Antonini*, quam a Marco editam probat lex 1, § 1, D., *Quando appellandum* 49, 4. Quorumnam igitur principum supradicta constitutio fuerit, dubium est; at ex ea decuriones tum non satis facile repertos esse tantummodo concludi potest. Utique Judæi sub Antoninis pace fruiti esse videntur. Cum rebellassent, Hadrianus iis circumcisione interdixerat[4]. Circumcidere filios suos rescripto Antonini Pii iis rursus permissum est[5]; Modestinus quidem addit : « In non ejusdem religionis qui hoc fecerit, castrantis pœna irrogatur » ; sed Judæi nihil curabant de proselytis. — E supradictis concludi potest eos melius a Romanis quam Christiani eodem

1. Omnes de hac difficultate auctorum sententias vid. apud A. Bodek, *Marcus Aurelius als Freund und Zeitgenosse des Rabbi Jehuda ha-Nasi*, Leipzig, 1868.
2. L. 3, § 3. D., *de decurionibus*, 50, 2.
3. Bodek, *op. cit.*, p. 28 et 44.
4. Spartian. *Hadrian*, 14.
5. L. 11, D., *ad leg. Cornel. de Sicariis* 48, 8.

tempore erant, notos esse. Gens enim Judæorum, atrocibus bellis quondam famosa, non semel debellata et per totum orbem terrarum sparsa fuerat : ne romanum jugum cervicibus excuteret non jam timebatur, nec vetera imperii præcepta, a Tiberio Claudioque quondam adversus eos exercita, a principibus philosophis servabantur. Nonnulli credidere Judæis tum imperatores favisse quod et Christianis inimici essent. Hoc sub Juliano verum; sub Antoninis tali auxilio adversus humiles subditos non indigebant.

Ut de religionibus concludamus, ne obliviscamur sub Marco Aurelio Romam extraneos cultus, præcipue ex Ægypto, introductos aut republica receptos fuisse. Major auctoritas græcarum superstitionum semper erat[1]. Præcipue apud Orientis provincias Marcus gratus fuit[2], neque Avidius Cassius rebellare ausus esset ni mortis principis fama per Asiam diffusa eum ad audendum provocasset.

Imperatorum cultus a Marco servatus est. Mortuo patre et in deorum numerum relato, collegium sodalium creavit quibus nomen Antoninianorum[3]. Ultimi autem creati sunt. Abhinc « novæ sodalitates creatæ

1. Gibbon, *op. cit.*, c. II disserit de « the fashionable irreligion which prevailed in the age of the Antonines. » Imo illa ætate mentes maxime ad divina versæ erant; ut christianos scriptores omittam, quis nescit Plutarchum, Apuleium, Aristidem, se deorum pios cultores professos esse? Cf. Boissier, *La Religion romaine*, passim.; Renan, *Confér. d'Angleterre*, p. 42 et 43; Friedlaender, *op. cit.*, IV. p. 195.

2. « Orientalibus provinciis carissimus fuit. » Capitol. *M. Ant. Phil.* 26. Sacra Serapidis quidem a vulgaritate Pelusiæ submovit (*Id. ibid.* 23) sed tantum ob diffluentes hujus civitatis mores.

3. De quibus abunde disserit H. Dessau, *De Sodalibus et Flaminibus Augustalibus*, Berolini, 1877, p. 12.

esse non omnino videntur, sed quicumque postea consecrati sunt imperatores, eorum sacra curare jussi sunt Antoniniani ita ut nova cognomina ex nominibus novorum divorum tracta acciperent. Sic D. Verum ab Antoninianis cultum esse narrat Capitolinus, c. 15[1]. »

Faustina quoque in numerum dearum adscita[2]; et Marcus ipse nimirum consecratus est, apudque populum memoria et veneratio ejus propter beneficia diu exstitere : dati ei sacerdotes Antoniniani et sodales[3].

§ 6. — *De re nummaria et de impensis imperii. De moribus.*

Quæ adhuc a Marco Antonino facta exposuimus, minime libertati profuisse videntur, quamvis exempla patris et avi præcipue secutus sit : sæpe enim potestatem principis princeps optimus augere conatus est : quod semper periculosum; nam imperatores et optimi mortales sunt, potestas vero summa eorum successoribus et pessimis transfertur.

Nunc quomodo tanta potestate usus sit, videamus; gratum sane opus; quanta enim ejus moderatio fuit, quanta in rempublicam officiosa diligentia et æquitatis cura! A re nummaria incipiemus, quæ semper in imperiis regendis maximi momenti fuit, præsertim ubi unus publicas pecunias pro arbitrio suo profundere potest.

Multæ impensæ sub principatu necessariæ factæ

1. *Id. ibid.*, p. 15.
2. Capit. *M. Ant. Phil.*, 26.
3. *Id. ibid.*, 18.

fuerant; hominibus qui novis muneribus præpositi erant, salaria, militibus stipendia danda; ludi edendi; largitiones populo faciendæ. Ni imperator parcus esset et frugi, paucos post annos pecuniam omnibus modis quærere cogebatur : inde impetus in privatorum fortunas, bonorum publicationes, creberrima delatorum turba. Primis principatus temporibus, dum pecuniam in promptu haberent, temperantes potestatis fuere Nerones et Domitiani; cum et sumptus publicos et suos nequiverunt solvere, atrocissime sævierunt[1]. Frugaliter Antonini se egerunt neque fiscum per conficationes augere cupiebant. Fisco Marcus Aurelius, ut narrat Capitolinus, in causis compendii nunquam judicans favit[2]; ejus multa rescripta contra fiscum nobis tradita sunt[3]. Ante omnia Aristides parsimoniam principis laudat : « Quis enim vel justitiæ vel humanitatis, vel aliarum virtutum tot tantaque, quot et quanta hic imperator exempla edidit! *Ac primum justitiam ejus in tributa consideremus*. Etenim cum pensiones multæ in rempublicam conferrentur, ac tributa multa nondum sufficerent, sed et æraria omnia essent exhausta et graviora quoque in posterum metuerentur,

1. Tiberius fere unus simul fuit parcus et crudelis. Cf. de Champagny, *Les Césars*, t. II, p. 8 et 9; W. *Capes, The Roman Empire of the second Century*. London, 1880, p. 13 et 14.

2. *M. Ant. Phil.* 12.

3. L. 3, Cod. Just.. *si adversus fiscum*, 2 37; 16 § 2, D., *de his quæ ut indignis*. 34, 9; 13 § 6, 18 § 2, 23 32, *de jure fisci*, 49, 14; 16 §§ 6 et 10, *de Publicanis*, 39, 4. *Ærarium* dicebantur senatus pecuniæ; *fiscus* principis : hæc distinctio paulatim abolita est. Distinguebatur et inter fiscum et bona Cæsaris privata. L. 3 § 10. D. 49, 14. Cf. Hirschfeld, *Untersuchungen*, p. 8 — *Fisci advocatos* primus instituerat Hadrianus (Spartian. *Hadr*. 20); quos *omnibus status controversiis a fisco factis* Marcus adesse jussit l. 7. D. *eod tit*. 49, 14.

ipse majorem pecuniæ summam ut conquireret coactus non fuit, nec ea de causa acerbius se gessit, verum tributa sublevavit, maxima non modo justitia, sed et humanitate præter ceteros principes hac in re usus. Atque hæc quidem de pecunia...[1]. » — Conspicuum modestiæ exemplum laudat Capitolinus : « Cum autem ad hoc bellum (adversus Quados) omne ærarium exhausisset suum, neque in animum induceret ut extra ordinem provinciis aliquod imponeret, in foro Divi Trajani auctionem ornamentorum imperialium fecit... et per duos quidem menses hæc venditio celebrata est, tantumque auri redactum est ut reliquias belli Marcomannici ex sententia persecutus, postea dederit potestatem emptoribus, ut si quis vellet empta reddere atque aurum recipere sciret licere. Nec molestus ulli fuit qui vel reddidit empta, vel non reddidit[2]. »

Sicut ipse nullum lucrum per inhonestas artes quæsivit, cavit et ne alii subditos opprimerent : « Dedit curatoribus regionum et viarum potestatem ut vel punirent, vel ad præfectum urbi puniendos remitterent eos qui ultra vectigalia quidquam ab aliquo exegissent...[3] » Nec sordide erga provincias se gerebat; eum promptissimæ liberalitatis dicit Eutropius[4]. Multa sunt apud Capitolinum hujusmodi testimonia.

Paucas leges de fiscali re omitto[5], ut aliquas ex

1. Aristid. (ed. Dindorf, t. I, p. 103.)
2. *M. Ant. Phil.* 17. Cf. Eutrop. VIII, 13; Aur. Vict. *Epit.* XVI, 8.
3. Capitol. *M. Ant. Phil.* 11.
4. VIII, 12.
5. Leges addidit de vicesima hereditatum. » Capitol. *Ibid.* 11. — « Zu deren [arcæ publicæ urbis Romæ] Einkünften gehœrte, namentlich der Zoll von gewissen Waaren (Vopisc. *Aurel.* 45.) Auf diese und æhnliche Verhæltnisse bezieht sich, dass nach

impensis memorem. Inter quas notatione dignissimæ sunt quæ ad alimenta pertinebant. Cum Italia exhausta propriis necessitatibus satisfacere non posset, summa alimentorum cura principibus erat. « De alimentis publicis multa prudenter invenit, ait Capitolinus, apud quem copiosiora desideremus; ... Italicis civitatibus famis tempore frumentum ex urbe donavit; omnique frumentariæ rei consuluit. »

Primus Nerva pueros puellasque parentibus egestuosis natos sumptu publico per Italica oppida ali jusserat. Hæc institutio a Trajano maxima diligentia composita est [1], cujus exemplum secuti sunt et successores ejus et divites Italiæ vel provinciarum cives. Publica beneficentia non exigua incrementa sub Marco accepit, qui humani a se alienum nihil putabat, nedum illius duritiæ argui posset quam multi apud Romanos Stoicos immerito reprehenderunt [2]. Pueros puellasque quibus antea non subventum erat frumentariæ perceptioni adscribi jussit [3] : *puellas Faustinia-*

einer Constitution des Marcus Aurelius um die Stadt gewisse Grænzen bezeichnet wurden, innerhalb deren die einmal eingebrachten Waaren hin und her geschafft werden durften, ohne abermals Zoll zu bezahlen. (Dieses zeigt die schœne Inschrift bei Orelli, t. II, n. 3347.) » Walter, *Geschichte des rœmischen Rechts*, I, p. 451 et 452. Marcus Aurelius primus constituit ut thesaurus in sacris vel religiosis locis inventus pro dimidia parte ad fiscum pertineret. L. 3 § 10, *de jure fisci* 49, 14. Antea, ex rescripto Hadriani, totus ejus a quo inventus erat fiebat. *Inst.* II, 1 § 39.

1. Vid. ap. Hænel, *op. cit.*, tabulas alimentarias Trajani, (p. 70 seqq). Cf. E. Desjardins, *de tabulis alimentariis*. Lut. Paris., 1854.

2. Des Vergers, *op. cit.*, p. 147.

3. Apud Capitolinum (*M. Ant. Phil,* 7) legimus : « Pueros et puellas *novorum hominum*, frumentariæ perceptioni ascribi præceperunt. » Quod non facile intelligi potest. Salmasius, in edit. Scriptorum Historiæ Augustæ cum Notis variorum, Lugd.

nas sic constituit ex nomine uxoris. Pro procuratoribus alimentorum præfectos creavit et equitum loco, consulares, ut hoc munus implerent, designavit[1].

Non congiaria abolevit, quod nullus princeps facere ausus erat[2], et quamvis plebem despiceret, et ei Romæ parum gratus esset, quod ad pecuniam attinet, munificus fuit[3].

Nec ludis finem imposuit; imo apparatissimos edidit[4]; sed gladiatores gladiorum mucronem retundere jussit, ut in ludicris certaminibus quæ apud recentiores *torneamenta* vocata sunt[5].

Pauca de circensibus hic dicemus. Etsi juvenis corporis exercitationibus multum usus erat[6], mox a talibus intentionibus studium philosophiæ eum abduxit : « gladiatoria spectacula omnifariam temperavit. Temperavit etiam scenicas donationes, jubens ut quinos aureos scenici acciperent : ita tamen ut nullus editor decem aureos egrederetur... Fuit illi consuetudo ut in circensium spectaculo legeret, audiretque, ac subscri-

Batav. 1671, « *novorum nominum* » legit : Walter autem in *Geschichte des rœmischen Rechts,* I, p. 461, n. 69. scribit « *novem annorum,* » ut in *Pertinac.* 9.

1. Des Vergers, *op. cit.,* p. 42. Hirschfeld, *Untersuchungen,* p. 117 seqq., de præfectis alimentorum copiose disserit.

2. Suet. *Aug.* 42. C. de la Berge, *op, cit.*, p. 99.

3. Dio. LXXI, 32.

4. Eutrop. VIII, 14.

5. « Marcus Aurelius adeo non delectabatur cædibus, ut Romæ quoque spectaret gladiatores tanquam athletas certantes sine periculo. Nec enim gladiatoribus concessit unquam acuto ferro dimicare, sed obtusis gladiis et præpilatis omnes dimicare jussit. » Dio. LXXI, 29. — Hæc prælia Græci humaniores oderant, apud Romanos paucissimi reprehendebant. Cf. Friedlænder, *op. cit.*, II, p. 170 et passim.

6. « Amavit pugilatum, luctamina et cursum, et aucupatus, et pila lusit apprime, et venatus est. » Capit. *M. Ant. Phil.* 4.

beret : ex quo quidem sæpe jocis popularibus dicitur lacessitus [1]. » Nec plebecula tamen sola tum circensibus oblectabatur : cum quemdam Veterasinum, famæ detestandæ, honorem petentem Marcus admoneret ut se ab opinionibus populi vindicaret, ille respondit : « multos qui secum in harena pugnassent, se prætores videre [2]. » — Eo magis laudandus est princeps qui propter mansuetudinem crudeles dimicationes quas primi Christiani imperatores ipsi non sustulerunt, temperavit et minus cruentas Romæ effecit. In aliis non tam luctuosis spectaculis etiam humanissima decrevit : cunabulis post puerum lapsum culcitras subjici jussit « unde hodieque rete prætenditur, » addit Capitolinus. Utinam nunc quoque hoc illius edictum vigeret !

Dum tanta diligentia lenitatem custodiret, in se scenicam licentiam exerceri patientissime tolerabat : adeo veritatis studiosus erat [3].

Ipse græcis litteris et philosophia eruditus, doctrinarum omnium prælectiones Athenis creavit, ut nemo esset cui non aditus pateret, et variis linguis editas [4], quod plane novum et inauditum erat. Nec, nimis multorum philosophorum instar, suæ philosophiæ unice favebat, sed apud varias philosophiæ scholas professores elegit [5].

1. Capit. *ibid.* 15.
2. *Id. ibid.* 12.
3. « Erat enim famæ suæ curiossimus, et requirens ad verum quid quisque de se diceret, emendans quæ bene reprehensa viderentur. » Capit. *ibid.* Quot principes omnino diverso modo famam suam curaverunt !
4. Πᾶσιν ἀνθρώποις διδασκάλους ἐπι πάσης λόγου παιδείας μίσθὸν ἐτήσιον φέροντας. Dio. LXXI. 31. Cf. Zonar. XII. 3.
5. Multa de philosophis illius ætatis reperiuntur apud Fried-

Moribus civium imperatores præpositi erant pro censoribus. Multa de illis statuit Marcus, teste Capitolino : « Lavacra mixta submovit [1] ; mores matronarum composuit diffluentes et juvenum nobilium [2]. »

Nonnulla etiam de sepulturis edixit, quæ post eum diu viguere ; cum pestis orbem terrarum vastavit, Antonini « leges sepeliendi sepulcrorumque acerrimas sanxerunt; quandoquidem caverunt ne uti quis vellet, fabricaret sepulcrum : quod et Capitolini tempore servabatur [3]. »

§ 7. — *De militibus.*

Superest ut de exercitibus et de re militari, quantum ad jus publicum attinet, pauca dicamus. Ab Augusti temporibus milites imperatorum dominationis fulcimentum simul ac periculum fuere. Antonino Pio mortuo, Marcus Aurelius et Lucius Verus castra prætoria petiverant, et « vicena millia nummorum singulis ob participatum imperium militibus promiserant et ceteris pro rata [4]. » Nonnulla deinde militibus Marcus tribuit, non tamen ut multi alii principes, omnia iis concessit, quamvis sæpe apud eos versaretur. Neque ignorabat qualis mens commilitonum esset. Exhaustis

lænder, *op. cit.*, IV, p. 539. Primus Hadrianus philosophiæ professores sumptibus publicis instituerat.

1. Hadrianus jam pro sexibus balnea separaverat. Spartian. 17. Post Marcum Aurelium, Alexander Severus quoque ea separari jussit Lamprid. 42. Prohibitiones mox contemptas renovari sæpe necesse erat.

2. *M. Ant. Phil.* 23.

3. Capit., *ibid.* 13. De sepulcrorum observantia a Marco exhibita vid. l. 39. D. *de Religiosis*, 11, 7. Cf. l. 6 et 7 *eod. tit.*

4. Capit., *ibid.* 7.

provinciis, ut supra diximus, vastato pestilentia orbe, non modo servos armaverat, sed etiam gladiatores et latrones; emerat et barbarorum auxilia contra barbaros [1]. Neque unquam armis togam cedere passus est, neque Italiam aut Romam velut Urbis ipsius debellator ingredi voluit [2]. Dio Cassius refert eum post victoriam quamdam militibus majorem largitionem quam solitam petentibus negavisse, dicentem, si concederetur, *sanguinem parentum et proximorum hausuros* [3].

Ulpianus jurisconsultus a *Divo Augusto Marco* constitutum nos monet ut filiusfamilias miles de eo peculio quod in castris acquisiverit testamentum facere posse [4]. Unde concludere haud absurdum sit a Marci Antonini decreto castrense peculium originem duxisse. Sed eadem verba Marcum Ulpium Trajanum possunt designare. Ceterum multo vetustius videtur illud peculii genus. Justinianus enim scribit : « Quod quidem jus (testamenti condendi) initio tantum militantibus datum est tam ex auctoritate Divi Augusti quam Nervæ, *nec non optimi imperatoris Trajani* : postea vero subscriptione Divi Hadriani, etiam dimissis militia, id est veteranis, concessum est [5]. » Trajani decisionem forsan Ulpianus commemorat, aut ejus verba corrupta fuerunt [6]. De peculio castrensi Marcus

1. Capit., *ibid.* 21. — « Fuit populo hic sermo cum sustulisset ad bellum gladiatores quod populum sublatis voluptatibus vellet cogere ad philosophiam. » *Id. ibid.*, 23.

2. « Per Brundusium veniens in Italiam togam et ipse sumpsit et milites togatos esse jussit : nec unquam sagati fuerunt sub eo milites. » *Id. ibid.* 27.

3. LXXI, 3.

4. *Reg.* XX, 10.

5. *Inst.* II, 12. Cf. Juven. *Sat.* XX, v. 51. seqq.

6. Vid. Pellat, *Manuale juris synopticum,* p. 745.

aut nihil constituit, aut jam ab aliis principibus constituta confirmavit[1].

Ut matrimonia veteranorum faciliora fierent privilegium non ipsis, sed soceris eorum creavit, in fragmentis quæ Vaticana dicuntur relatum. « Ex filia nepotes non prodesse ad tutelæ liberationem, sicuti nec ad caducorum vindicationem palam est; nisi mihi proponas ex veterano prætoriano genero socium avum effectum ; tunc enim secundum orationem D. Marci quam in castris prætoriis recitavit, Paulo iterum et Aproniano consulibus VIII, Id. jan., id habebit avus, quod habet in nepotibus ex filio natis, cujus orationis verba hæc sunt : *Et quo facilius veterani nostri soceros reperiant, illos quoque novo privilegio sollicitabimus, ut avus nepotum ex veterano prætoriano natorum, iisdem commodis nomine eorum fruatur quibus frueretur, si eos haberet ex filio*[2]. » Hanc fere unam juris commutationem militum gratia admisit, quamvis frequentissime ab aliis talia privilegia darentur, seu sibi animos militum conciliare vellent, seu ipsa ratio juris romani in aliquot casibus id exigeret[3].

§ 8. — *De jure quod nunc « gentium » vocatur.*

Horum verborum *juris gentium* apud Romanos non eadem significatio erat atque apud recentiores. « Quod

1. De milit. testam. vid. l. 3, 28, D., 29, 1.
2. *Vatic. Fragm.* 195.
3. Juris errorem militibus non nocuisse notum est. « Arma magis quam jura [eos] scire sacratissimus legislator existimavit. » L. 22, Cod. Just., *de jure deliberandi,* 6, 30; l. 1, *ibid., de juris et facti ignor.* 1, 18. « Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse; quia castrensis jurisdictio secura et obtusior, ac plura manu agens callidatem fori non exerceat. » Tacit. *Agric.* 9.

naturalis ratio inter omnes homines constituit, ait Justinianus, id apud omnes populos peræque custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo jure omnes gentes utuntur. » Nunc illud jus gentium dicitur quo in bello et pace inter populos communicationes moderantur; nova quidem appellatio, res autem antiqua : tempore Marci Aurelii Gaius jurisconsultus fœdera inter gentes contractus esse notabat, quamvis non ex actione civili, si violata essent, agi posset, sed vis controversiam disceptaret[1]. Jus fetiale urbis principio constitutum erat ab illo Numa qui Marci atavus dicebatur, et fetiales etiam sub Antoninis exstitisse constat. Marcus nimirum se orbis civem professus, summa moderatione cum barbaris egit. « Æquitatem etiam, scribit Capitolinus, circa captos hostes custodivit. Infinitos ex gentibus in romano solo collocavit[2]. » Et Eutropius : « In re militari moderata gloria, defendere magis provincias quam amplificare studens[3]... regibus amicis venerabilis non minus quam terribilis, adeo ut barbarorum plurimæ nationes, depositis armis, ad eum controversias suas litesque deferrent, sententiæque ejus parerent[4] » — Semel ab illa mansuetudine recessit cum capitis germani cujusdam ducis pretium se daturum proposuit : addendum tamen duplicem mercedem si ille vivus caperetur eum promisisse.

Tanta ejus fama fuit ut ex India ipsa legatos acceperit[5].

1. *Comment.* III, § 94.
2. *M. Ant. Phil.* 24. De his barbarorum coloniis mox amplius dicemus, cum juri personarum studebimus.
3. Quod ab Hadriano et Tito Antonino observatum erat; Trajanus contra fuerat bellicosus.
4. *Brev.* VIII, 8.
5. Friedlænder, *op. cit.*, II, 370.

Quinetiam Sinensium historiæ memorant munera missa : b *Aantoun* (Antonino) rege ad Hiouanti imperatorem, anno post Chr. n. 166. Forsan tamen qui hæc munera ferebant, se legatos prædicabant ut facilius iter conficerent[1].

§ 9. — *De pœnis.*

Apud Romanos semper leges pœnales imperfectæ fuerunt; et, quamvis M. Antoninus benigna indole erat, et in singularibus casibus clementissimus[2], quæ generaliter constituit nonnunquam duriora, ut hodie videtur, fuerunt.

Servorum quæstiones hujus sævitiæ exempla nobis afferunt. Romanos non ignorasse quam parum secura illa ratio veritatis quærendæ esset, Quintilianus demonstrat[3]. Attamen Trajanus quæstionem ad novos casus protulerat[4]; Antoninus quidem Pius eam quasi reluctans servaverat[5]. M. Aurelius et L. Verus de utilitate tormentorum dubitare non videntur : « Nec servus communis civitatis, ait Marcianus, singulorum

1. Letronne, *Mém. de l'Acad. des Inscript. et B. Lettres,* nouv. série X, p. 227. Friedlænder, *op. cit.* II, p. 375.

2. « Erat mos iste Antonino ut omnia crimina minore supplicio quam legibus plecti solent, puniret. » Capitol. *M. Ant. Phil.* 24.

3. « Sicut in tormentis quoque, qui est locus frequentissimus : cum pars altera quæstionem vera fatendi necessitatem vocet, altera sæpe etiam causam falsa dicendi, quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas necessarium. Quid attinet de his plura? *Plenæ sunt orationes veterum ac novorum.* » *Inst. or.* V, 4, 1.

4. Vid. l. 1, D., 48, 18; l. 10, § 1, D., 29, 5.

5. « Divus Pius rescripsit posse de servis haberi quæstionem in pecuniaria causa, *si aliter veritas inveniri non possit,* quod et aliis rescriptis cavetur... » L. 9, D., *de quæst.* 48, 19. Cf. l. 1, § 13, *eod. tit.;* l. 1, § 5, *de Scto Silaniano,* 29, 5.

pro parte intelligitur sed universitatis. Et ideo tam contra civem quam pro eo posse servum civitatis torqueri Divi Fratres rescripserunt[1]. » Ulpianus quoque : « Repeti posse quæstionem, inquit, Divi Fratres rescripserunt[2]. » In epistola Voconium Saxam principes laudant quod servum torqueri jussit[3]. — Is quoque error regum et jurisperitorum in Gallia fuit usque ad ultimos superioris sæculi annos !

Marcus etiam statuit mortuum majestatis accusari posse : « Meminisse oportebit si quid contra majestatem imperatoris commissum dicatur, etiam post rei mortem instaurari solere postea quam Divus Marcus Drunciani, utpote senatoris, qui Cassiani furoris socius fuerat, *bona post mortem fisco vindicari jussit* : et nostro tempore multis heredibus ablata sunt[4]. »

Sævissime etiam Marcus et Lucius operam dederunt ut in eos qui carcere evasissent animadverteretur[5].

At maxime Marco objicienda est distinctio inter *humiliores* et *honestiores* quæ quotidie major facta est. Julius Capitolinus et Vulcatius Gallicanus eum se velle sine senatorio sanguine imperium transigere professum referunt[6]; imo post Avidium Cassium interemptum qui deportati fuissent senatores revocavit, cum

1. *M. Ant. Phil.* 25, 26; *Avid. Cass.* 8.

2. L. 1, § 14, D., *de quæst.*, 48, 18.

3. L. 1, § 27, *eod. tit.* Sese accusantem servum cum ad dominum revertere nollet innocentem sic repertum esse verum est. Hæc epistola quam misera aliquot servorum conditio fuerit, probat. — Add. l. 17, pr., D., *eod. tit.* quæ servum contra dominum ipsius interrogari in adulterii quæstione permittit.

4. L. 7, Cod. Just., *ad legem Jul. maj.* 9, 8. Add. l. 8, *eod. tit.*; l. ult., D., 48, 4. Le Nain de Tillemont hanc constitutionem a Commodo originem duxisse putat, sed non manifestum facit. (*Hist. des empereurs,* sec. éd., t. II, p. 282.)

5. L. 1, pr., D., *de effractionibus,* 47, 18.

6. L. 6, § 1, D., *de divisione rerum,* 1, 8.

paucissimi centuriones capite essent puniti. Ita qui rebellioni causam dederant, impuniti, qui duces erant secuti necati sunt.

« Effractorem equitem romanum, qui effracto perforatoque pariete pecuniam abstulerat, pro omni pœna quinquennio abstinere jussit provincia Africa, unde erat, et Urbe, et Italia [1]. » — Quinetiam, ut Diocletianus et Maximianus monent, « Divo Marco placuit *eminentissimorum* nec non etiam *perfectissimorum* virorum usque ad pronepotes liberos plebeiorum pœnis vel quæstionibus non subjici, si tamen propioris gradus liberos, per quos id privilegium ad ulteriorem gradum transgreditur, nulla violati pudoris macula aspergit [2] ».

Nonne sic primores ad licentiam excitabantur? Qui majorem operam ad utilitatem reipublicæ conferre deberent aut non minus aut etiam severius puniendi sunt quam infima e stirpe nati homines, quibus ignorantia excusationi est, et quorum exempla haud tam periculosa sunt. Sed nunquam et apud prudentissimos Romanorum hæc æquitatis præcepta intellecta fuere, neque dubium Marcum quod æquum esse putabat effecisse [3].

Ceterum nonnulla quoque non dubie æquitati congrua decrevit : ita a furente scelera commissa non punienda [4]; et crimen vel pœnam patris nullam macu-

1. L. 1, § 2, D., *de effract.*, 47, 18.
2. L. 11, Cod. Just.. *de quæst.*, 9, 41.
3. « Capitales causas hominum honestorum ipse cognovit, et quidem summa æquitate, ita ut prætorem reprehenderet qui cito reorum causas audierat, juberetque illum iterum cognoscere, dignitatis eorum interesse dicens ut ab eo audirentur qui pro populo judicaret. » Capitol. *M. Ant. Phil.* 24.
4. « Sane si per furorem aliquis parentem occiderit, impuni-

lam infligere filio posse, quia nullum alieni criminis successorem lex pateretur[1]. In Codice Gregoriano (XIV, 20) et apud Sanctum Augustinum (*de Conjug. adult.* II, 7) rescriptum Antonini cujusdam reperitur ubi legimus : « Periniquum mihi videtur esse ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet. » Quæ origo est nostræ legis : « L'adultère de la femme ne pourra être dénoncé que par le mari : cette faculté même cessera s'il est dans le cas prévu par l'article 339[2]. » — Quis sit hic Antoninus non certum : nonnulli putant Marcum hujus decisionis auctorem fuisse[3]. Utique ea notanda est cum contra generales juris regulas quoddam compensationis genus inter crimina admiserit et adulterium uxoris propter adulterium mariti excusaverit. Quod apud nos intelligi potest quia privatum delictum adulterium est, et apud virum quoque puniendum, minoribus tamen pœnis; Romæ autem cuivis e populo adulteram uxorem incusare licebat, nemini autem virum[4].

tus erit, ut Divi Fratres rescripserunt super eo qui per furorem matrem necaverat : nam sufficere furore ipso eum puniri, diligentiusque custodiendum esse, aut etiam vinculis coercendum. » L. 9, § 2. D., *de lege Pomp.* 48, 9. Add. l. 13, § 1, *de officio præsidis*, 1, 18.

1. L. 26. D., *de pœnis*, 48, 19. Avidii Cassii proximis pepercit.

2. Code Pénal, 336, 329. « Le mari qui aura entretenu une concubine dans la maison conjugale, et qui aura été convaincu sur la plainte de la femme, sera puni d'une amende de 100 fr. à 2,000 francs. »

3. Le Nain de Tillemont. *op. cit.* II, p. 324.

4. L. 34. D., *ad leg. Jul. de adult.* 48, 5. — L. 101, D., *de verb. signif.* 50, 16.

Ecastor, lege dura vivunt mulieres
Multoque iniquiore quam viri.
Nam si vir scortum duxit clam uxorem suam,
Id si rescivit uxor, impune 'st viro.
(Plaut. *Mercator*, v. 796 seqq.)

Marcus plurima de adulteriis sanxit; præcipue maritum qui uxorem in adulterio deprehensam impetu tractus doloris interfecerit, non legis Corneliæ de sicariis pœnam excipere debere[1]. Pœnas dabat tamen vir, sed minores[2]. Contra ex antiquo jure patrifamilias filiam in adulterio deprehensam impune occidere licebat[3].

In delatores etiam animadvertit, qui sæpissime expulsi et nimia sævitia castigati perpetuo renascebantur, ineluctabilis sub immoderata unius potestate pestis[4]; nec vaticinatoribus pepercit, adversus quos pater jam sævierat, quique in imperio romano plurimi fuisse videntur[5].

Capite damnatis liberam mortis facultatem concedendam censuit[6].

In summa, ut jus pœnale in melius mutaretur, Antoninus pauca effecit, res profecto miranda si ejus philosophiam erga omnes benignam consideres et illius ætatis jus civile perfectissimum, cum humaniora præcepta in locum veterum Quiritium legum succes-

1. L. 38, D., *ad leg. Jul. de adult.* 48, 5. Add. de adulteriis quoque : *Coll. leg. mosaic. et rom.* IV, 3; L. 32 *ad leg. J. de adult;* l. 15, pr., *de quæst.*, 48, 18.
2. Paul. *Sent.* II, 26, § 4 et 5.
3. L. 20; 23, § 2, 3, 4, D., *ad leg. J. de adult.*
4. « Calumniis *quadruplatorum* intercessit, apposita falsis delatoribus nota. » Capitol. *M. Ant. Phil* 11. — « *Quadruplatores* delatores erant criminum publicorum in qua re quartam partem de proscriptorum bonis quos detulerant assequebantur. » Pseud. Ascon. *in Cicer. Divin.* ed. Orelli, V, 2, p. 11); Maynz, *Esquisse hist. du droit criminel de l'anc. Rome*, 1882, pp. 67 et 68. Cf. Suet *Tit.* 8; Plin., *Panegyr.*, 35; Paul., *Sent.*, V, 4, 11, etc.
5. *Mos. et rom. legum collat.* xv, 2, 3-6; Bouché-Leclercq, *Histoire de la Divination dans l'antiquité*, iv, p. 331.
6. L. 8 § 1, D., *de pœnis*, 48, 19.

sissent. Una explanatio inveniri potest. Sub imperio Antoninorum composita et tranquilla respublica fuisse primo aspectu videtur; sed revera in eodem statu atque antea, forsan pejore erat. Latrones in ipsa Dardania et Dalmatia tam numerosos fuisse jam diximus ut exercitum Marco præbuerint. In ipsa Italia eos haud raros fuisse Epistola Marci ad Frontonem ostendit[1]. In cruentis circensium spectaculis plebis mores quotidie in deterius declinavisse certum est. Per legum atrocitatem his malis remedium afferri posse et optimi principes credebant, neque compertum habebant pœnam certam, non gravem ad terrendos scelestorum animos necessariam[2]. — Præterea inter honestiores et humiliores discrimen pæne semper in civitatibus exstitisse novimus, ubi nobilitas potentior facta[3].

1. Fronton, *Epist.*, II, 17.
2. Montesquieu, *Esprit des lois,* VI, 12.
3. Id., *ibid.* VI, 15.

PARS POSTERIOR

DE JURE CIVILI

PARS POSTERIOR

DE JURE CIVILI

Apud Romanos maxime jus civile floruit; imo cum imperium undique corrueret, pæne incolume stabat. Ut Græcia capta victorem Romanum litteris et philosophia ceperat, ita Roma a barbaris debellata legibus eos rursus superavit. Notatione enim dignum est jus civile aliter se habere quam jus publicum et jus pœnale. Hæc sub immodico imperio necessarie vitiosa sunt; illud quoquo modo res publica regatur vigere potest[1]. Et pessimis dominis parum est obnoxium, quod non eorum licentiæ obstat; et ab optimis colitur et emendatur.

Semper Romani juris studiosi fuerunt. Qui ad honores ascendere cupiebant inter rostra et forum tempus dividebant; cum rostra muta facta sunt, forensis eloquentia sola permansit, quæ juris scientiam exigebat. Cum ad principem plurima negotia per appellationes vel quoquo alio modo venirent, ille jurisconsultos in consilium vocabat, quos frequenter summas dignitates

1. Sæpissime liberi populi jus civile pejus quam alii habuerunt : Atheniensium apud antiquiores, Anglorum apud recentiores, leges civiles illis inferiores fuisse plerique fatentur quæ sub Theodosio vel Justiniano imperium romanum regebant.

adeptos videmus. Jamdiu jus publice Romæ docebatur.

Sub Hadriano præcipue ejusque successoribus usque ad mortem Alexandri Severi clarius splendet hæc scientia. — Sub Marco Antonino ille Gaius vixit cujus opera cum Papiniani, Paulique, Ulpianique et Modestini libris legis auctoritatem postea habuerunt. Certum est hujus ætatis prudentibus philosophiæ studium multum profuisse, præsertim stoicæ. Paulum vero, ut opinor, stoicæ disciplinæ in jure constituendo effectus amplificati sunt. Nam mutationes quæ tum sunt introductæ, valde rationi congruas, ab omnibus consideratis viris approbatas fuisse credendum est : et Hadrianus quanquam Epicuri sectator plurima in melius immutavit. Nec verius videtur omnia christianæ religioni ascribere, fere ignotæ cum hic jurisprudentiæ splendor incepit[1]. Per orbem jam tum multa æquitatis præcepta diffundebantur quæ nullius philosophiæ aut religionis propria dici poterant, quæ tamen Christiani et cum iis Stoici melius quam alii dispexerunt. Ceterum minime negari potest et multos jurisconsultos stoicæ philosophiæ studuisse, et eam maxime illis con-

1. Quod ad christianam religionem attinet, vid. Troplong, (*De l'influence du Christianisme sur le droit civil des Romains.*) A quo ejus in jure commutando vim nimium elatam puto. Eam contra plane negat E. Renan : « On a prétendu découvrir une influence chrétienne dans ce grand progrès du Droit romain. Rien de plus gratuit. Les idées des chrétiens et les idées des jurisconsultes étaient aux deux pôles opposés; nul rapport entre les deux écoles, si ce n'est des rapports de malveillance; pas un rapprochement sérieux entre les textes. » *Marc-Aurèle*, p. 23. Nulla auctoritate apud juris peritos Christianos tum fruitos fatemur. Sed christiana religio jam ad mores formandos multum pollebat, a quibus jus semper originem cepit Stoicorum et Christianorum in Ethica plurima similia erant. Cf. eumdem auctorem, *ibid.*, p. 583.

venisse[1]. « Stoicam sectam in iis quæ ad juris rationem et republicæ constitutionem pertinent sibi vehementer placere, alius licet sectæ fautor... testatur Cicero... Hanc enim philosophiæ pulcherrimam esse partem recte videbant agere negotium publicum, cognoscere, judicare, proponere et exercere justitiam, quæque ipsi doceant in usu habere, et hæc philosophiæ pars optime a stoicis exponebatur : practica magis eorum philosophandi erat ratio[2]... »

Stoicorum verorum falsorumque numerus in immensum crevit, stoico principe imperante. Jam Marcum se civem orbis dixisse scimus : hoc Stoicorum quidem commune erat[3]. — Præterea notandum est Romanos ipsos nullam propriam sibi sectam condidisse, græcas tantum accepisse, et multos hujus temporis jurisperitos ex Oriente aut Græcia originem duxisse. Non mirandum igitur nobis est si vetustius et durius Quiritium jus civile humaniori juri locum cessit.

Ipse Marcus juri assidue studuerat, et magistrum habuerat Volusium Mæcianum[4]. Quot et quam præclari jurisconsulti tum floruerunt! Salvius Julianus,

1. Vid., inter plurimos : Ginoulhiac, *de la Philosophie des jurisconsultes romains*, 1849; J. Simonnet, *La philosophie stoïcienne et les jurisconsultes romains*, 1862; L. Laferrière, *Mémoire concernant l'influence du stoïcisme sur la doctrine des jurisconsultes romains*. (Acad. des sc. mor. t. x). Cf. J. Messchert van Vollenhoven. *De exigua vi quam philosophia græca habuit in efformanda jurisprudentia romana*, 1834.

2. J. Messchert van Vollenhoven, *op. cit.* p. 26.

3. ..... Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum finemque tenere,
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam,
Nec sibi, *sed toti genitum se credere mundo*.
Pharsal. II, 380 seqq.

4. *Capitol. M. Ant. Phil.* 3.

Sextus Pomponius, Alburnius Valens, Claudius Saturninus[1], Q. Cervidius Scævola[2]. Ex quibus multi e provinciis orientalibus vel africanis oriundi erant. Ut minus illustres omittam, Gaius, de cujus vita perpauca tradita sunt[3], ex ea parte imperii originem duxisse creditur, quippe qui Asiæ et Græciæ leges optime nosset, et primum a Constantinopolitanis principibus laudatus sit. Salvius Julianus, sub Hadriano *Edicti perpetui* auctor, et qui usque ad primos imperii Marci Antonini annos vixit, Adrumeti natus est. Nomen Africani illius stirpem indicavisse videtur. Addamus Volusium Mæcianum juridicum Alexandriæ fuisse.

Nunquam adhuc juris scientia tanto splendore enituerat : non cuncta illorum prudentium opera etiam breviter hic examinare mihi in animo est. Cum multi in principium consilium vocati sint, non mirum si tum optima rescripta edictaque et mandata edita fuere.

Jam eo tempore ille juris fontium in Corpora vel Codices redigendorum labor qui apud Romanos a lege XII tabularum nunquam nisi a privatis effectus erat, quem autem principes inferioris ætatis tantopere curaverunt, inceptus est, auspicibus imperatoribus. Sub Hadriano Salvius Julianus *Edictum perpetuum* composuerat ex edictis prætorum[4] quod a senatuscon-

1. Quidam putant hunc eumdem fuisse atque Claudium Saturninum. (Vid. Fitting, *Alter der Schriften der rœmischen Juristen von Hadrian bis Alexander*, 1860, p. 17.)

2. De his omnibus vid A. Rivier. *Introduction historique au Droit romain,* Bruxelles, 1881.

3. Vid. Glasson, *Etude sur Gaius,* 1867; Caillemer, *Notes pour la biographie du jurisconsulte Gaius.* Mém. lus à la Sorbonne, 1866.

4. Cf. l. 2 § 18, Cod. Just., *de vet. juris enucl.* 1, 17; l. 10, C. J., *de cond. indeb.* 4, 5; Aurel. Vict., *de Cæsar. Rom.* 19:

sulto confirmatum fuit, ita ut jam juris civilis pars jus prætorianum esset[1]. De hujus Edicti vi et hodie disputatur, et errare mihi videntur qui opinantur tum edictum pro omni ævo ita absolutum fuisse ut nihil addi aut latius explanari deinde posset. Jus edicendi post Hadrianum magistratus populi romanum servavisse Gaius testatur[2], at solummodo quæ deessent explere eos abhinc potuisse verisimile est[3].

Jamdiu provinciarum præsides veluti Romæ prætores jus edicendi habebant, quorum edictum dicebatur *provinciale*. Ad exemplar Edicti perpetui Edictum provinciale, sine dubio a Senatu comprobatum, Marcus Antoninus constituisse dicitur. Quod non pro certo affirmare ausim : non tamen incredibile, cum Gaius ad Edictum provinciale Commentarium scripserit, hodie non exstantem. Aliquot scriptores quidem putant jus provinciale in ipso Edicto perpetuo inclusum fuisse : libera conjectura est[4].

Ad jus civile sub Marco Aurelio accuratius perlus-

« Edictum in ordinem composuit quod varie inconditeque a prætoribus promebatur. » — Eutrop. VIII, 17. — Parum fidei Aurelio Victori addendum fatemur, Salvium Julianum jurisconsultum a Didio Juliano imperatore non distinguenti.

1. Aulus Ofilius primum, teste Pomponio *edictum prœtoris diligenter composuerat,* sed nullam juris vim ejus opus receperat, L. 2 § 44, D., *de Orig. juris.* 2, 14.

2. *Comm.*, I, 6

3. De his perobscuris vid. Maynz, *Cours de Droit romain,* § 187 ; Accarias, *Précis de Droit romain,* § 20.

4. « Ueber eine Zussammenstellung der Provincialedicte gibt es zwar keine Nachrichten ; doch læsst sich begreifen, dass nachdem in Laufe der Zeit die Verhæltnisse der Provinzen sehr gleichartig geworden waren, für sie leicht ein gemeinschaftliches Edict gebildet werden konnte, (Der Commentar des Gajus ad *edictum provinciale* setzt ein solches gemeinschaftliches Edict voraus.) » Walter, *op. cit.* II, p. 26, 27.

trandum, ordinem sequemur qui a Gaio ejus principis tempore, postea a Justiniano admissus est : scilicet primum de jure personarum, dein de jure rerum, denique de actionibus disseremus.

§ 1. — *De jure personarum.*

Apud omnes orbis antiqui populos summa divisio personarum erat liberorum et servorum [1]. De servis quid Marcus decreverit, prius videamus.

A. De servis [2].

Quanquam ubique servitus erat in usu, neque unquam ab imperatoribus abrogata est, jam non Aristotelis opinio admittebatur eam juris naturalis esse [3]. Non multo post M. Antoninum ea definita est a Florentino « Constitutio juris gentium qua quis dominio alieno *contra naturam* subjicitur [4]. » In servorum conditionem mutandam ex Græcia et Oriente allatas religiones et philosophiam plurimum contulisse certum est. Nemo ignorat quam vehementer Annæus Seneca stoicus adversus dominorum crudelitatem invectus sit [5].

1. Gai. I, 9.
2. De servis vid. præcipue : H. Wallon, *Histoire de l'esclavage dans l'antiquité;* vid. etiam, quanquam multo minus accurate elaboratum opus, *Hist. de l'esclavage ancien et moderne,* par Tourmagne, 1880.
3. *Polit,* I, 2. — Cf. Cicer. *ad Attic.* I, 12 quod acrius morte servi commotus esset sese excusantem.
4. L. 4, D., *de statu hominum.* 1, 5.
5. « Servi sunt? imo homines; servi sunt? imo contubernales; servi sunt? imo humiles amici; servi sunt? imo conservi, si cogitaveris tantumdem in utrosque licere fortunæ. »

Jurisconsulti, ut solet, duriores diu permansere[1]. Ipsi tamen, ut ex Florentini verbis constat, antiquam sævitiam tandem omisere. Ceterum nonne reipublicæ expediebat ne quis re sua male uteretur? Quæ juris ratio haud parvi momenti apud eos fuisse videtur ut vetustas leges magno sine desiderio desererent[2].

Stoica disciplina imbutus Marcus Antoninus eo mitior erga mancipia erat quod pater et avus maxime in illa jam benigni fuerant[3]. Et ad servorum sortem servitutis tempore meliorem efficiendam multa humane cavit, et manumissionibus favit, quæ ad naturalem omnium hominum statum reditus videbantur.

Hadrianus et Titus Antoninus servos a dominis necari vel atrocius haberi vetuerant. Marcus prohibuit ne venderentur ut cum bestiis pugnarent[4]; ejusdem ex rescripto etiam adversus proprium servum accusa-

Ep. XLVII. 1. « Ejusdem arrogantiæ proverbium jactatur, *totidem esse hostes quot servos*. Non habemus illos hostes, sed fecimus. Alia interim crudelia et inhumana prætereo, quod ne tanquam hominibus quidem sed tanquam jumentis abutimur. » Ep. XLVII, 3 seqq. Senecæ Sanctum Paulum notum fuisse, hodie jam non creditur.

1. Vid. apud Tacit. (*Ann.* XIV, 43), C. Cassium contra servos in senatu verba facientem et morem majorum extollentem. — Apud nos jurisperiti tormenta in suspectos servare diu valuerunt.

2. Gai. I, 53 : « Male nostro jure uti non debemus : qua ratione et prodigis interdicitur bonorum suorum administratio. » — « Nor was the slave's private law position affected by the constitutions which made it penal for his master to kill or grievously ill-treat him without cause. These were in truth analogous to the provisions in modern systems of public law for the prevention of cruelty to animals. » T. E. Holland, *Elements of Jurisprudence*. Oxford, 1880, p. 236.

3. Vid. præc. Spartian. in *Hadriano*, 1. ; l. 2, D., *de his qui sui vel alieni juris sunt*, 1, 6 ; Gai. *ibid.*

4. L. 42, D., *de contrah. empt.* 18, 1.

tionem instituere ob adulterium domini debuerunt, nedum eos ipsi supplicio afficere possent[1]. De talibus causis præfectus urbis cognoscere debebat[2].

De manumissionibus fere innumeræ fuerunt Marci constitutiones : inter quas præcipue hæ notandæ.

Cum servus ea lege venditus aut donatus esset ut ab emptore vel donatario manumitteretur, etiam nulla manumissione interveniente ad libertatem perveniebat[3].

Cum sæpe fieri posset ut heres a testamento institutus ob æris alieni hereditarii magnitudinem hereditatem adire recusaret, atque ita legatæ libertates ex jure civili non jam deberentur, rescripsit Marcus, nullo herede adstante, bona *addici* posse, id est a magistratu attribui ei « qui creditoribus caveret de solido quod cuique deberetur solvendo. » Statim qui a defuncto *directam* libertatem acceperant, liberi fiebant; qui *fideicommissariam*, manumittendi illi erant cui bona addicta[4]. Quanquam hæc constitutio nominatim de libertate testamento data tantum tractaverat, si quis intestato decedens codicillis libertatem nonnullis servis dedisset, neque hereditas ab intestato adita esset, ad hunc quoque casum favorem constitutionis extendi placuit[5].

1. L. 5, D., *de accusat.*, 48, 2.
2. L. 1, § 5. D., *de off. præfecti urbis*, 1, 12.
3. L. 10, 20. D., *de manum.* 40, 1; 1, 3, 6, D., *qui sine manum.* 40. 8; 3 § 3, D. *de suis*, 38, 16; 38, D., *de liberali causa*, 40, 12; 2, Cod. Just., *si mancipium*, 4, 57; 3, D., *de legit. tut.* 26, 4.
4. Verba constitutionis a Justiniano tradita sunt, ad Pompilium Rufum quemdam scriptæ, quem Theophilus Verginii Valentis servum fuisse putat; hæc autem nomina potius ingenui hominis existimat Vinnius. Vid. *Inst.* III, 11; l. 6 et 15, C. J., *de testam. manum.* 7, 2.
5. L. [illegible] D., *de fideic. lib.* 40, 5; cf. l. 4, 19, 20, *eod. tit.*

Si quis servo per testamentum dedisset libertatem et directo et per fideicommissum, in potestate servi factum est utrum vellet *orcinus* an heredis libertus fieri [1].

Testamentaria, præsertim fideicommissaria libertas ne ab heredibus impediretur, Marcus summa diligentia providit : « Divus Marcus, inquit Ulpianus, rescripsit fideicommissas libertates neque ætate, neque conditione, neque mora non præstantium tardiusve reddentium corrumpi, aut in deteriorem statum perduci [2]. »

At hoc memorabilius : notissimum est Romæ nullum patrimonium servis fuisse; peculium enim ex arbitrio dominorum pendebat qui id auferre poterant. Apud veteres auctores tamen nonnunquam servos sese redimentes reperimus, peculium scilicet domino offerentes; sed herum minime cogere poterant ut ipsos manumitteret. Epistola Divorum Fratrum hoc jus commutavit qui *servi nummos* peculium nominant, tanquam *proprietarii :* « Si quis dicat se *suis nummis* emptum, ait Marcianus, potest consistere cum domino suo, cujus in fidem confugit, et queri quod ab eo non manumittatur; Romæ quidem apud præfectum urbis, in provinciis vero apud præsides ex sacris constitutionibus Divorum Fratrum [3]. »

1. L. 56, D., *de manum. test.* 4.

2. L. 30 § 16, D., *de fideic. lib.* 40, 5. Cf. eamdem leg. § 3, 13; l. 31 § 1, *eod. tit.;* l. 3, D., *de his qui in test.* 28, 4; l. 1 § 1, *de suis,* 38, 16; l. 33, *de pœnis,* 48, 19; l. 1, C. J., *de necess. servis hered. inst.* 6, 27; l. 12, D., *de fideic. lib.;* l 37, *eod. tit.;* l. 1 § 7, *si is qui testamento,* 47, 4; l. 51, *de hered. inst.* 28. Nec tamen jura patronorum legitima negligebantur; l. 16 § 4, D., *de bonis libertorum,* 38, 2. Add., et in favorem libertatis admissam, l. 1, D., *de manum. quæ servis...* 40, 3.

3. L. 5, D., *de manum.* 40, 1. Cf. l. 4, *eod. tit.;* l. 53 et 67, *de judiciis,* 5, 1.

Hic etiam, ut jam in aliis locis notavimus, Augusti priorumque imperatorum ab exemplis Antonini recesserunt qui manumissionibus per plurimas leges, Æliam Sentiam, Fufiam Caniniam[1], Juniam Norbanam modum imposuerant. Nova mansuetudo in leges introducta est; nulla subita et turbulenta fuit veteris juris commutatio; sed græca philosophia opus incepit quod dein christiana religio exsecutura erat.

Nec Marci humanitas in intempestivam animi remissionem excidebat; eam enim, cui summa ope favebat, libertatem non quasi pretium pro feritate vel populari aura profundebat. Cum plebs in theatro petiisset ut leonis dominus ingentis, quod multos homines voravisset insignis, manumitteretur, per præconem respondit illum nil fecisse ut libertate dignus videretur[2]; imo tales in circo manumissiones non valere decrevit[3].

Jura dominorum lædere metuit, fortasse nimium[4]; non credo tamen eum vehementer reprehendi posse quod ea protexerit. In legibus enim condendis eos ipsos qui summa potestate fruuntur respectum morum et

1. Sic apud Gaium nominatur (*Comm.* I, 42. ed. Dubois); Fusia Caninia et Furia Caninia quoque appellata est.

2. Dio. LXXI. 29.

3. « Si privatus coactus a populo manumiserit, quamvis voluntatem accommodaverit, tamen non erit liber, nam et D. Marcus prohibuit ex acclamatione populi manumittere. » L. 17, pr., *Qui et a quibus*... 40, 9. — « D. Marco auctore, amplissimus ordo censuit ne quis spectaculo quod edatur actorem suum alienumve servum manumitteret, et si factum esset pro infecto haberetur. » L. 3, C. J., *Qui manum.* 7, 11.

4. « D. Marcus oratione quam in senatu recitavit, facultatem dedit ingrediendi tam Cæsaris quam senatorum et paganorum prædia volentibus fugitivos inquirere scrutarique cubilia atque vestigia occultantium..... » L. 3, D., *de Fugitivis*, 11, 4; Cf. l. 1 § 1 et 2, *eod. tit.*

juris antiqui habere necesse est, et servitutem in eo tempore penitus et repente tolli potuisse nemo opinatur : eo libentius princeps fugitivos servos persequi dominis permisit quod semper servile bellum Romani timebant et fugitivi sæpenumero cum latronibus qui vastabant aliquot provincias, et Italiam ipsam, coibant.

Antequam de jure ingenuorum disseramus pauca de medio inter liberos et servos personarum ordine dicenda sunt, scilicet de *colonis, adscriptitiis, tributariis*, etc. quoquo modo appellentur, quorum adhuc obscura et origo et originis tempus.

B. De colonis[1].

Colonos prædiis quæ colerent adhæsisse et *publicas functiones*, id est tributa, simul cum *reditibus* prædiorum dominis debitis solvisse e Constantini placito constat[2]. Ante Constantinum vero nonnullos colonos fuisse *glebæ adstrictos* ex diversis locis apparet[3]; sed de hujus personarum conditionis origine et auctu pauca tradita sunt et hodie disputatur. De qua quæstione notandum est plura in Codice Justinianeo quam in Theodosiano reperiri, et in Pandectis perpauca;

1. De colonis fere innumeri scriptores disseruere. Vid. D. Serrigny, *Droit public et admin. romain*, t. II, p. 389, seqq.; E. Kuhn, *Die stædtische und bürgerl. Verfassung der ræmischen Reichs*, t. I. p. 257 seqq.; H. Wallon, *Hist. de l'esclavage dans l'antiquité*, t. III. — Ch. Revillout, *Revue hist. du Droit français*, 1856 et 1857, et *Mémoires lus à la Sorbonne en* 1863, p. 184 seqq. — Arnold, *op. cit*, p. 161 seqq. — Heisterbegk, *Die Enstehung des Colonats*, Leipzig, 1876, etc.

2. L. 1, Cod. Th., *de fugit. col*, 5. 9,

3. L. 112, D., *de legatis* I, 30; l. 1, C. J., *de infant. expos*. 8, 52.

colonorum igitur numerum quinto et sexto post Christum sæculis in immensum crevisse credibile est, neque hoc mirandum, cum ipsi decuriones muneri, artifices fere omnes operi alligarentur, et cum singuli pariter statum mutare gravissima propter onera desiderantes in sua conditione ab imperatoribus, bonum privatum publicumque, ut apud αὐτοκράτορας fieri solet, allegantibus, retinerentur [1]. — Unam in provinciam, scilicet Palæstinam, Valentiniani, Theodosii et Arcadii placitum novum jus introduxisse videtur, jamdudum in aliis romani orbis provinciis usitatum. « Cum per alias provincias... *lex a majoribus constituta* colonos quodam æternitatis jure detineat... neque id Palæstinæ provinciæ possessoribus suffragetur [2]... » Unde concludi potest *leges a majoribus constitutas,* i.e. imperatorias constitutiones agricolas liberos quasi *terræ servos* [3] effecisse. Neque illa opinio omnino rejicienda, quippe quæ a veteribus historiarum scriptoribus confirmata sit.

Apud Suetonium legimus a Cæsare Augusto in proximis Rheno agris debellatos barbaros collocatos esse [4], quod exemplum principes plurimi secuti sunt. Dedititios populos post Marcomannicum bellum Marcus Antoninus in Italiam traduxit, ad terras colendas sine dubio jam tum inaratas et desertas [5]. Et ab ejus successoribus idem factum esse sæpissime referunt Eutropius, Ammianus, ceterique. Qui mos, haud ab anti-

1. « Hoc et domino et agricolis utilius est. » L. 18, C. J., *de agricolis*, 11, 47.
2. L. 1. C. J.. *de col. Pal.* 1', 50.
3. L. unic., C. J., *de col. Thrac.* 11, 5', etc.
4. *August.* 21.
5. Capitol. *M. Ant. Phil.* 22. Dio. LXXI, 11.

quissimo populi Romani usu abhorrens, humanior esse videbatur quam victas gentes in servitutem redigere et quasi mancipia venumdare. Attamen primis temporibus et *servitium* horum populorum conditio nominata est[1]. Ipsi *tributarii* dicti sunt quia tributum annuum pendebant[2]; *adscriptitii* quoque vel *censiti;* quæ nomina etiam ceteris colonis imposita sunt; simul, ut ceteri coloni, militare cogebantur.

His de causis recentiores nonnulli auctores opinati sunt talem fuisse omnium colonorum conditionis originem[3]. Minime autem probatum est Marci Antonini temporibus has barbarorum colonias eodem jure adstrictas esse quam Constantini aut Valentiniani Nam postea etiam non civitatum magistratibus subditi erant, sed præfectibus qui ipsi militiarum magistris parebant[4]. Præterea, in paucis provinciis, in Gallia et apud Eridanum Danubiumve eæ coloniæ conditæ sunt, perraro in Asia; universo tamen in imperio colonos fuisse certum est.

Aliunde igitur quærenda est horum status origo; M. Aurelium eum condidisse aut ei dudum condito leges imposuisse nonnulli putant; sed priusquam de hoc amplius disseramus, de colonorum distinctione aliqua dicenda sunt.

Colonorum enim, aut *originariorum* (hac etiam appellatione præter eas supra dictas notabantur cum loco ubi nati essent adhærerent) duo genera fuerunt:

1. Trebell. Poll. *Claud.* 9.
2. Amm. XVIII, 5, 15.
3. Zumpt, *Ueber die Ensteh. des Colonats,* Rhein. Mus. III. Jahrgg. 1845; etc.
4. Eorum conditio tamen quotidie similior conditionis colonorum facta est. Vid. Arnold, *loc. cit.*

nam aut ingenui erant aut servi. Ingenuos quidem plurimos fuisse ex diversis locis apparet[1]. Cum ingenui coloni essent, quamvis licentiam non haberent e terra quam colerent recedendi et annuis functionibus obnoxii essent, uxores ducere, liberos in potestate habere, imo dominium vel acquirere vel tradere, testamenta condere poterant, *salvo jure possessorum*: ita enim aliquot leges interpretandæ sunt, quæ si nimium ad verbum intellexeris, eorum bona servorum peculio omnino æquipararent[2].

Coloni autem servi sub potestate dominorum erant. Quæ duplex colonorum conditio non unam eorum status originem esse jam ostendit, quod latius mox apparebit. Cujacius putat omnibus temporibus agricolas fuisse fundis juris quodam vinculo quasi adhærentes, queis primo *operariorum obœrariorumve*, dein *colonorum* vel *inquilinorum* nomen impositum[3]. Varronis autem verba per quæ hanc opinionem confirmare nititur, non satis aperta sunt[4], neque ex ullo veterum scriptorum loco concludi potest hanc conditionem jam tum notam fuisse. Neque magis admittendæ sunt eorum sententiæ qui ex Gallorum Germanorumve moribus colonatum originem duxisse credunt, quippe qui in universo imperio viguerit. Duobus e fontibus eum manavisse non ambigendum credimus.

Coloni servi tempore priores, ut præsumi potest,

1. L. unic., C. J.. *de col. Thrac.*, aliquando *liberi* dicuntur unice illi qui non tali vinculo subjecti erant, cum lex eos cum colonis confert, e. g. in leg. 2, C. J., *de Agric.* 11, 47; sed nullum colonum ingenuitate fruitum non ita significatur.

2. L. 2, C. J., *in quibus causis col.* 11, 49; l. 23 § 1, *de agric.* etc.

3. Ad. leg. 112 pr., D., *de leg.* I, 30.

4. *De re rustica,* 17.

instituti sunt Cum, potentiorum opibus magis atque magis crescentibus, latifundia Italiam primum, postea provincias occupavere [1], domini ad immensos colendos agros et pascenda pecora, mancipiis usi sunt [2]; quæ fructuum rationem iis quorum in potestate erant, reddere debebant. Sæpe vero, ut magis libera esset servorum administratio, et quia iis continuo invigilare difficillimum plerumque esset, domini eis certa pro pecunia fundos tradebant quasi *conductoribus* aut *colonis* (hoc nomine enim qui fundum rusticum conducebant, designabantur). Quem usum, cum frequentior quotidie factus esset, ipsa lex comprobavit. « Si quis *inquilinos* sine prædiis, *quibus adhaerent*, legaverit, inutile est legatum, sed an æstimatio debeatur, ex voluntate defuncti statuendum esse Divi Marcus et Commodus rescripserunt [3]. » Hic primum terræ cohærentem hominem videmus; ita servorum sortem in melius mutatam esse parum dubium est cum jam non procul a patria sede mitti possent per legatum, vel, ut probabile est, per alium quemlibet alienationis modum. — *Inquilini* etiam tum dicebantur et diu postea dicti sunt liberi homines alienum prædium conducentes [4]; paulatim autem inquilinorum nomen colonis (recentiore hujus verbi sensu) impositum est, cum servis, tum ingenuis [5].

1. Plin. *H. N.* xviii. 6.
2. « ..... Ne, si ingenui essent, militiæ causa avocarentur ab opere. Atque hæc ipsa quoque possessio multum eis lucri afferebat, crescente ob numerosam prolem et immunitatem a militia, servorum multitudine... » Appian. *De bello civ.* 1, 7.
3. L. 112, pr., D., *de leg* I. 30. Cf. l. 12, § 3., D.. *de instruct. vel instrum. leg* 33, 7; l. 18 § 4; l. 20 § 1, *eod. tit.*
4. Isid. *Etymol.* ix, 4.
5. Eruditissimus scriptor Revillout (*Mém. lus à la Sorbonne*,

Ingenui autem homines quomodo glebæ servi primum facti sint, incertum quoque; nec sub Hadriano ejusque successoribus ista deterior liberorum agricolarum conditio jure exstitit; at moribus jam tum instituta videtur, invitis imperatoribus, in vectigalibus agris forsan et in dominorum potentiorum fundis : « D. Hadrianus in hæc verba rescripsit, ait Callistratus : *Valde inhumanus mos est iste, quo retinentur conductores vectigalium publicorum, et agrorum, si tantidem locari non possint : nam et facilius invenientur conductores, si scierint fore, ut si peracto lustro discedere voluerint, non teneantur*[1]. » Egregie quidem dictum, sed magis atque magis agri deserebantur; præterea in ipsis civitatibus sensim quisque in eadem arte, imo in eodem munere quo fungi cœperat permanere cogebatur; quid mirum si par ratio parem agricolarum conditionem effecerit quam artificum? Nec illum statum omnes liberi incolæ abnuebant: « Tributarii pauperes et egestuosi, ait serius Salvianus, tradunt se ad tuendum protegendum-

1862, p. 184 seqq.) putat id Marci Aurelii et Commodi rescriptum ad Senatusconsultum, sub Hadriano editum, accommodatum fuisse, quod Ulpianus sic breviter exponit : « Ea quæ *ædibus juncta sunt,* legari non possunt, quia hæc legari non posse senatus censuit Aviola et Pansa consulibus. » (l. 41 § 1, *de leg.* I, 30) : his verbis quidquid ad ornamentum vel utilitatem fundorum conferret designatum fuisse putat, et ipsos servos. Quæ opinio non satis comprobata mihi videtur : jure romano enim *ædes* vocantur *prædia urbana* vel *ædificia :* non fundi vel prædia rustica, et senatusconsultum supradictum, aliarum legum instar, ne *urbs ruinis deformaretur* providisse verisimile est. Nec magis admitto *inquilinos* quales eos in Pandectis invenimus, iis quos Theodosii et Justiniani codices nominant omnino dissimiles fuisse, quanquam eamdem appellationem variis personarum generibus datam notandum est.

1. L. 3 § 6, D., *de jure fisci,* 49, 14.

que majoribus, dedititios se divitum faciunt et quasi in jus eorum ditionemque transcendunt... Illud grave ac peracerbum est quod hac lege tueri pauperes videntur ut spolient, hac lege defendunt miseros ut miseriores faciant defendendo... Proprietatibus [pauperes] carent et vectigalibus obruuntur... itaque nonnulli eorum de quibus loquimur, qui aut consultiores sunt, aut quos consultos necessitas facit, cum domicilia atque agellos suos aut pervasionibus perdunt, aut fugati ab exactoribus, quia tenere non possunt, fundos majorum expetunt, et *coloni divitum fiunt*[1]. » Addit Salvianus ab iis jus libertatis amitti, quod, ut supra diximus non stricto sensu intelligendum est, nemini enim ingenuo seipsum servituti addicere licebat.

Sub Marco Antonino igitur colonos exstitisse pares illis quos tot postea principum placita *jugo inquilinæ subjectionis* submisere non affirmari potest; sed jam ex quorumdam servorum meliore, quorumdam ingenuorum deteriore conditione facta, mediam conditionem mox orturam prævidere facile erat. Cujus conditionis ceterum jamdiu exempla exstiterant : apud Lacones enim ilotas quasi glebæ fuisse servos non ignoratur. Jamque barbari debellati et in varias imperii partes translati ut agros colerent nec servi erant, nec plena libertate fruebantur.

1. *De gub. Dei,* 8. — Secundo post Ch. n. sæculo has a Salviano deploratas calamitates jam imperium oppressisse sane non credimus; sed supra vidimus multo minus prosperas fuisse provincias quam multi et hodie existimant.

C. De statu ingenuorum.

Ingenuus dicebatur is qui, cum liber natus esset, nunquam libertatem amiserat. Mihi non opus est referre quanti interesset ingenuitatis probatio. Inde publicorum instrumentorum utilitas per quæ hominum status melius probaretur quam per testium memoriam. Cum respublica vigeret, censores « populi ævitates, soboles familiasque censebant[1] ». Sub primis Cæsaribus credendum est ad ingenuorum liberos inscribendos publicas tabulas fuisse[2]. Marcus Antoninus cum frequentiores lites de statu personarum e manumissionibus innumeris quotidie nascerentur, generalem legem edidit : « Liberales causas ita munivit ut primus juberet apud præfectos ærarii Saturni unumquemque civium natos liberos profiteri, intra tricesimum diem nomine imposito. Per provincias tabulariorum publicorum usum instituit apud quos idem de originibus fieret quod Romæ apud præfectos ærarii : ut si forte aliquis in provincia natus causam liberalem diceret, testationes inde ferret, atque hanc totam legem de *assertionibus* firmavit[3]. » Ceterum alia pro-

1. Cic., *de legibus*, III.
Add. Ovid. in *Arte amat.* :
Nec quotus annus eat, nec quo sit nata require
Consule; quæ rigidus munera censor habet.

2. ..... Libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri. Juv.. *Sat.* IX.

3. Capitol., *M. Ant. Phil.* 9. Hic *de assertionibus libertatis* agitur. Cf. *Vatic. Fragm.* 168 : « Divi Marcus et Lucius Apronio Saturnino ita rescripserunt : *Si instrumentis probas habere te justos tres liberos*, etc. »

bationis genera, veluti testium affirmatio et epistolæ, postea etiam admissa sunt[1].

Eodem consilio, ut lites de ingenuitate minueret, de statu defunctorum quæstionibus modum imposuit[2].

Quo *filiatio* certior fieret, rescriptum quod *de inspiciendo ventre custodiendoque partu* dictum est Marcus et Lucius ediderunt : cum divortio facto maritus uxorem prægnantem diceret, uxor negaret, eam jusserunt « a tribus obstetricibus inspici, et, si omnes vel duæ prægnatem eam renunciavissent, custodem ventri designandum[3] ».

Ad matrimonia firmanda aliqua etiam Marcus decrevit. Ex antiquo jure tanta patriæ potestatis vis erat ut pater filii filiæve matrimonium ad libidinem suam rumperet. Quid mirum, cum eos necare posset? At, mitioribus factis moribus, cum pater filii vel filiæ matrimonio annuisset, iniquum visum est illud ex ejus una voluntate solvi. « Dissentientis patris qui initio consensit matrimonio, cum marito concordante uxore filiafamilias, aiunt Diocletianus et Maximianus, ratam non haberi voluntatem. D. Marcus, pater noster, religiosissimus imperator constituit, nisi magna et justa causa interveniente hoc pater fecerit[4]. » Quod quidem Paulus Antonino Pio adscribere videtur[5]; sed ejus receptas Sententias parum auctoritatis habere omnes

1. L. 29, pr., D., *de probat.* 22, 3.
2. Capitol. *M. Ant. Phil.* 10; l. 1 § 3, D., *ne de statu defunct.* 40, 15.
3. *Venter* conceptus infans nominabatur. L. 1, D., *de inspic. ventre.* 25, 4.
4. L. 5, Cod. Just., *de Repudiis,* 5, 17. Add. a Marco etiam de divortio constituta, l. 12, *eod. tit.*; et de patria potestate, l. 1, C. J., 8, 47.
5. *Sent.* V, 6, § 15.

noverunt quia a Wisigothis truncatæ sunt : ceterum quandoque Marcum patris ad exemplum Pium appellatum esse certum est[1].

Si per errorem vir et femina *inutilia* contraxissent matrimonia, non puniebantur, sed liberi ex eo coitu nati legitimi non habebantur[2]. Hodie contra cum conjux uterque vel unus bonæ fidei est, non spurii liberi sunt[3], et matrimonium *putativum* dicitur. Quod, a Romanis Pontificibus generaliter constitutum, e jure canonico in nostrum introductum est[4]. — Hæc humanissima decisio e constitutione Marci originem cepit, a Marciano jurisconsulto sic relata : « Divi Marcus et Lucius imperatores Flaviæ Tertullæ per Mensorem libertum ita rescripserunt : *Movemur et temporis diuturnitate, quo ignara juris in matrimonio avunculi tui fuisti, et quod ab avia tua collocata es, et numero liberorum vestrorum; idcircoque cum hœc omnia in unum concurrunt, confirmamus statum liberorum vestrorum in eo matrimonio quœsitorum quod ante annos quadraginta contractum est, perinde atque si legitimi concepti fuissent*[5]. » Hujus rescripti verba, et lex. 3, Cod. Just. *Solut matrim.*, post Marcum edita, nullam tum generalem matrimonii putativi constitutionem fuisse demonstrant[6] : quod certe desiderandum fuit; viam tamen aperuisse Marco haud mediocri honori est.

1. Suid. *Lexic.* V° Μάρκος. — L. 6, § 8, D., *de Excusat.*, 27, 1.
2. L. 3, C. J., *Soluto matrim.*, 5, 18.
3. Cod. Civ., art. 201 et 202.
4. Pothier, *Contrat de mariage*, n° 439.
5. L. 57, § 1, D., *de Ritu nupt*, 23, 2.
6. Contra vid. Maynz, *op. cit.*, t. III, § 323; Demangeat, *Cours élément. de Droit romain*, sec. éd., t. I, p. 262. — Hoc verbum « putativum » pro « imaginario » apud Romanos accipiebatur.

Senatus eo tempore nullum matrimonium esse inter senatoriæ ordinis filias et libertinos decrevit[1] : talis conjunctio jam a legibus Julia et Pappia Poppæa vetita fuerat, sed num *nulla* jam effecta fuisset dubitatur. Quod admittendum credimus. — Atenim illud senatusconsultum sub Marco latum inutile erat. — Minime, quoniam apud Romanos desuetudine jus abrogari poterat, et exempla nobis tradita sunt legum iterum latarum[2]. Non igitur hic jus novum a Marco introductum est; mirandum etiam sit durius jus quam sub Augusto ab illo conditum, cum jamdiu ab ejus principis præceptis imperatores descivissent.

Cum magna sollicitudine omnes qui propter ætatis imbecillitatem negotia gerere nequirent, prosequeretur, multa de tutela et cura prudenter cavit.

Et primum de tutela hæc. Prætorem tutelarem primus creavit, cum antea tutores Romæ a consulibus poscerentur[3]. In provinciis legati proconsulum tutores dare potuerunt, Alexandriæ juridicus[4].

Quæ tutelæ excusationes futuræ essent exactissime definivit[5]; et privilegia hic dedit non dignitati sed

1. L. 16. D., *de Ritu nupt.*, 23, 2.

2. Notissimæ sunt leges Valeria Horatia, Publilia, Hortensia quibus cautum est ut plebiscita universum populum tenerent. Vid. Accarias, *op. cit.*, I, 91 *a*.

3. Capit. *M. Ant. Phil.*, 10; Orelli, 6485; Zumpt, *Comm. epigr.*, II, pp. 68-70. Notatione dignum est eumdem fuisse et primum juridicum per Italiam regionis Transpadanæ, et primum tutelarem prætorem.

4. L. 1, § 1, D., *de Tutoribus*, 26, 5, l. 2, D., *de Officio juridici*, 1, 20.

5. Inst., *de Excusat. tut.*, I, 25, § 6, 10. — Fragm. Vatic., 154, 156, 168, 20 , 210, 224, 240, 247. — L. 1, § 4; 6, § 18; 13 pr. et §§ 1 et 2; 14, § 2; 15, § 2; 16, D., *de Excusat.*, 27, 1. — L. 16, 17, 18, Cod. Just., *eod. tit.*, 5, 62. — L. 29, D., *de Tutoribus*, 26, 5. Notandum est Vatic. Fragm. 245, regulis stricti juris

labori[1]. Senatusconsulto ad orationem Marci et Commodi facto statuitur tutorem vel curatorem pupillam sibi vel filio suo nuptam collocare non posse intra vicesimum sextum annum non desponsam vel destinatam a patre, ne nupta pupilla ob reverentiam mariti vel soceri tutelæ rationes petere non posset. Quinetiam qui rationes reddiderat tutori vel curatori non pupillam suam uxorem ducere licebat ante annum vicesimum quintum elapsum, quia usque ad hoc tempus *in integrum* poterat *restitui*[2].

Simul patroni familiæ et liberti vincula adstricta sunt, nec liberto patroni liberorum tutelam recusare licuit[3].

Quæ de tutela diximus, fere omnia et *curæ* communia. Sed de curatoribus rem majoris momenti princeps decrevit.

Ex lege XII tabularum furiosi in proximorum agnatorum curatione erant; dein furiosis æquiparati sunt prodigi quibus a magistratu *bonis interdictum erat;* item curatores concedi soliti sunt surdis mutisque et perpetuo morbo laborantibus. Adulti autem minores viginti quinque annis, quanquam ob ætatis infirmitatem rem familiarem bene administrare sæpe non po-

forsan parum congruum : « Quamvis singula quæ litteris tuis complexus es non præstent tibi justas causas excusationis, tamen quia multa simul congruerunt, movere nos possunt, ut excusatio tua a tutela recipi possit. »

1. Ex. gr. l. 26, D., *de Excusat.*, 27, 1, et l. 15, § 2, *eod. tit.:* « Scire oportet nulli dignitatem tribuere excusationem; unde si quis senator fuerit, hic tutor erit, et eorum, qui inferioris ordinis sunt quam senatorum... »

2. L. 59, 60, 64, 67, D., *de Ritu nupt.*, 23, 2; l. 7, D., *ad leg. Jul. de adult.*, 48, 5; l. 128, D., *de Legatis* I, 30. — De eo senatusconsulto Paulus librum scripsit.

3. Fragm. Vatic. 220; l. 5, C. J., *de Excusat. tut.*, 5, 62.

terant, sine tuitione manebant. Quod mox manifestum fuit. Lex Plætoria quædam[1], lata ignoto tempore, quam tamen Plauti tempore exstitisse certum est, *circumscriptos* minores viginti quinque annis ab omni damno per judicium publicum defendit[2]; iis autem licuit curatorem petere quotiescumque negotium aliquod gerere vellent. Quibus prætor quoque dein succurrit per *in integrum restitutionem.*

Ante Marcum igitur non omnes vigintiquinque annis minores curatorem habebant; cum haberent, habebant pro certo negotio, non perpetuo usque ad elapsos viginti quinque annos; curatorum consensus rariorem quidem in integrum restitutionem efficiebat, non omnino impediebat.

Capitolinus autem scribit : « De curatoribus vero, cum ante nonnisi ex lege Lætoria vel propter lasciviam vel propter dementiam darentur, ita statuit *ut omnes adulti curatores acciperent non redditis causis*[3]. » Attamen in Justiniani Institutionibus legimus : « *Item inviti adolescentes curatores non accipiunt,* præterquam in litem[4]... » Et hoc a multis confirmatum videmus. Papinianus enim scribit « minoribus nonnisi desiderantibus curatores dari solere »; Modestinus « non licere aliis curatores minoribus petere, sed minoribus ipsis tantum[5]. » Imperatores Diocletianus et Maximianus minori cuidam rescribunt

1. Ita in tab. Heracl. nominata est; apud auctores etiam appellatur *Lectoria* vel *Lætoria.*
2. De hac lege vid. Accarias, *op. cit.,* I, 168.
3. *M. Ant. Phil.* 10.
4. *Instit.,* I, 23, § 2.
5. L. 13, § 2, D., *de Tut. dat.,* 26, 5; l. 2, §§ 4 et 5, D., *Qui pet. tut.,* 26, 6.

interesse utrum is curatorem habeat, an non[1]. Inde apparet verborum Capitolini hunc esse sensum « ut deinceps ex constitutione Antonini omnes adolescentes indiscriminatim curatores accipere possent, remissa necessitate allegandi et probandi causas ob quas peterentur, quod exigebat lex Lætoria[2]... » Tribus casibus duntaxat minores curatorem accipere cogi poterant : cum litem intenderent vel exciperent[3]; si debitor vellet aut cogeretur minori solvere[4]; cum is qui tutor fuerat rationem administrationis suæ reddere desideraret[5]. — Ceterum certum est sine curatoribus minores quotidie rariores factos esse, ita ut Ulpianus non multo post Marcum Aurelium dixerit minoribus viginti quinque annis rei suæ administrationem committi non debere, etsi rem suam bene gerentibus[6]; neque, apud recentiores pupulos qui jure romano usi sunt, ulli adolescenti sine curatore esse licuit.

Gaius testatur sua ætate mulierum tutelam non omnino evanuisse, sed tunc quotidie inutiliorem fieri. Ipse Senatus eam infirmare non dubitabat[7]. Jamdiu omnibus ludibrio illa erat.

Ut de jure personarum concludamus, nonnulla de alimentis decrevit Marcus, et oratione in Senatu reci-

1. L. 3, C. J., *de in int. restit.*, 2, 22.
2. Vinnius, *ad Instit.*, § *suprad.* Hæc opinio hodie a pluribus admittitur; vid. Accarias, *loc. cit.*
3. L. 2, C. J., *Qui leg. pers. stand. in judic.*, 3, 6.
4. L. 7, § 2, D., *de Minoribus*, 4, 4.
5. L. 7, C. J., *Qui pet. tut.*, 5, 31. His tribus casibus semel datus curator usque ad elapsos viginti quinque annos officio fungi debebat.
6. L. 1, § ult., D., *de Min.*, 4, 4.
7. Gai., I, 173; Ulp., *Reg.* XI, 22. Tantummodo apud libertinas feminas tutela patronorum aliquam vim servaverat. Gai., I, 174.

tata effecit ne aliter alimentorum transactio rata esset quam si auctore prætore facta. Adeo timebat ne ii quibus alimenta deberentur, necessitate oppressi, minimo pro pretio jure suo spoliarentur[1].

§ 2. — *De jure rerum.*

Quod ad jus rerum attinet, Marci constitutiones ad usucapiones, hereditates et obligationes præcipue spectant. Quæ ordine videbimus.

A. De usucapionibus et longi temporis præscriptionibus.

De usucapione *pro herede* paulo longius disseremus : ejus enim vera natura nonnisi nuperrime cognita est[2]. — Principio is qui res hereditarias omnes vel eorum majorem partem uno anno possederat, heredis ipsum titulum acquirebat, non igitur modo res corporales quæ in ejus possessione fuerant, verum etiam alias res corporales et jura hereditaria. Hoc constitutum erat ut heredes hereditatem adire festinarent, ad solvenda debita nec non sacra privata colenda. Cum autem prætor creditores in possessionem bonorum debitoris defuncti misit et sacra privata in desuetudinem abierunt, hæc usucapio eo magis singularis visa est quod jure communi res incorporales usucapi non poterant. *Improba* a jurisperitis nomi-

1. L. 8 pr., D., *de Transact.*, 2, 15; Cf. *eamdem leg.*, §§ 2, 3, 4, 6, 8, 17, 20; l. 23, § 2, D., *de Cond. indeb.*, 12, 6. Omnes de alimentis transactiones stricto sensu interpretari jussit; l. 8, § 12, *de Transact.*

2. Cf. E. Dubois, *la Saisine héréditaire en Droit romain*, Nouvelle Revue historique de Droit, 1880, 101-207.

3. Gai. II, 54, 55; Cicer., *de Legibus*, II, 19.

nata est, nec tamen omnino sublata, sed solummodo commutata. Res hereditariæ solæ per usucapionem *pro herede* acquiri potuerunt, verum *sine justa causa vel bona fide*, et per unum annum etiam cum fundi inter res hereditarias essent. Diu creditum est huic usucapioni locum fuisse vel cum *necessarius* vel *suus* heres exstaret; nunc autem melius lecti Gaii Commentarii tali casu usucapionem impeditam esse ostenderunt[1]. Sub Hadriano senatusconsultum vero heredi vel bonorum possessori permisit eum qui pro herede usucepisset ex bonis per *petitionem hereditatis fictitiam* ejicere; unde talis usucapio tantum proderat cum hereditatem vel bonorum possessionem nemo peteret. Marcus Antoninus tandem non eam omnino sustulit sed periculosam fecit. Crimen enim *expilatæ hereditatis* instituit, quod subiret quicumque sciens injuste res hereditarias occuparet, hereditate nondum ab herede possessa[2]. Abhinc usucapio *lucrativa pro herede* nusquam in legibus romanis apparet. Quæ *pro herede* postea dicta est, omnino diversa erat[3].

Novum usucapionis vel præscriptionis genus creavit, ut rerum a fisco venditarum emptores protegeret : « Edicto D. Marci, ait Justinianus, cavetur eum qui a fisco rem alienam emit, si post venditionem quinquennium præterierit posse dominum rei per exceptionem

1. Vid. Dubois, Gai., Comm. II, 58; III, 201. Ex quo concludi potest aliquam *hereditariam saisinam* (ut medii ævi prudentes eam vocaverunt) apud Romanos exstitisse. Per *saisinam* intelligitur a defuncto ad heredem non modo dominii sed etiam possessionis ipso jure translatio.

2. L. 1 et 2, D., *Expil. hered.*, 47, 19.

3. Vid. Dig., lib. XLI, tit. 5. E. Dubois negat ullam *pro herede* proprie dictam usucapionem Justiniano tempore fuisse. (*Nouv. Revue historique, loc. cit.*)

repellere[1]. » Quod magis ad fisci utilitatem quam ad æquitatem sane pertinebat : posteriorum ætatum imperatores funestam viam inire non dubitaverunt : Zeno constituit ut omnes qui rem alienam a fisco acciperent per donationem, aut venditionem, aut alium titulum statim dominos fierent, neque fiscus ultra quadriennium conveniri posset. Idem privilegium Justinianus principis vel Augustæ alienationibus extendit.

De præscriptione longi temporis unam decisionem reperimus, quæ utrum ab Antonino Pio an Marco edicta sit, dubitatur. « Rescriptis quibusdam, ait Marcianus, D. Marci [vel Magni] Antonini cavetur, ut in rebus mobilibus locus sit præscriptioni diuturnæ possessionis[2]. » Inde colligi potest solam usucapionem rebus mobilibus usque ad hoc tempus adhibitam esse.

B. De hereditatibus.

In hereditatibus testamentariis pauca M. Antoninus mutavit; ab eo tamen hæc regula pervulgata, maxime rationi congrua, introducta est : Substitutionem vulgarem pro pupillari, pupillarem pro vulgari valere[3]. — Magis voluntati defunctorum quam inanibus formulis obsecutus constituit ut *sub imperfecta cretione* heres institutus pro herede gerendo ex asse substitutum excluderet[4].

1. *Instit.* II, 6, § 14.
2. L. 9, D., *de Div. tempor.*, 44, 3.
3. « Jam hoc jure utimur ex D. Marci et Veri constitutione, ut cum pater impuberi filio in alterum casum substituisset, in utrumque casum substituisse intelligatur, sive filius heres non exstiterit, sive exstiterit et impubes excesserit. » L. 4, pr., D., *de Vulg. substit.*, 28, 6.
4. Ulp., *Reg.* XXII, 34.

De inofficioso testamento statuit feminas testamento patris præteritas, non plus nancisci posse per *bonorum possessionem contra tabulas* quam jure accrescendi[1].

Eo autem tempore, in hereditatibus quæ ab intestato deferebantur notissimum senatusconsultum Orphitianum latum est. E prisco Quiritium jure nec mater liberis, nec liberi matri ab intestato succedebant, nisi mater *in manu* mariti fuisset[2]. Quamvis enim ea *materfamilias* diceretur, nullum jus ex iis habebat quæ ad patremfamilias pertinebant: « Mulier, aiebant prudentes, familiæ suæ et caput et finis est. » Quod ut bona in iisdem gentibus permanerent constitutum erat[3]. Prætor quidem supplere, imo corrigere jus civile solitus ad mutuam successionem matrem et liberos in ordine *cognatorum* vocavit, quem ipse creaverat et post *heredes suos* et *agnatos* tertium fecerat. Cognati non heredes proprie dicti, sed bonorum tantum possessores erant. Remedium sane infirmum. Cum pristini mores et antiqua in feminas diffidentia pau-

1. Gai., II, § 125. Cf. Theoph. II, 15, § 3; l. 4, C. J., *de Lib. præt.*, 6, 28. In hac lege alii legunt « *Magni* », alii « *Marci* ». Cum Gaius hanc partem Commentariorum scripsit, Antoninum Pium jam defunctum, probat § 195 ejusd. libri. — De auctoritate rei judicatæ in testamentis inofficiosis vid. l. 17, § 1, et l. 18, *de Inoff. test.*, 5, 2. In constitutione ibi laudata Divi Fratres admittunt quod hodie nominatur : *Théorie du contradicteur légitime.* — De fideicommissis vid. l. 67, § 10, D., *de Legatis* II, 31; l. 39, D., *de Leg.* III, 32; l. 3, D., *de Test., milit.*, 29, 1. — De heredibus indignis vid. l. 5, § 19; l. 12, D., *De his quæ ut indignis,* 34, 9. — De aditione hereditatis quæ solvendo non erat, vid. l. 7, § 17; l 8, 9, 10, D., *de Pactis,* 2, 14.

2. Cum uxor *in manu* viri esset, viro loco filiæ, liberis loco sororis erat.

3. Veluti mulierum tutela perpetua, legis Voconiæ prohibitiones, etc.

latim evanuissent, tum durius et naturæ repugnans jus duodecim tabularum visum est. Primus Claudius, verisimiliter singulari casu matri liberorum amissorum detulerat hereditatem [1]. Dein senatusconsultum Tertullianum, sub Antonino Pio editum [2], constituit ut mater ingenua liberorum trium jus habens, libertina quatuor, ad bona filiorum filiarumve admitteretur intestatorum.

« Per contrarium autem liberi ad bona matrum intestatarum admittuntur ex senatusconsulto Orphitiano, quod Orphitio et Rufo consulibus effectum est, D. Marci temporibus; et data est tam filio quam filiæ, legitima hereditas, etiamsi alieno juri subjecti essent, et prælati fuerunt consanguineis et agnatis defunctæ matris [3]. » Nulla distinctio liberorum ex justis nuptiis natorum et vulgo conceptorum habebatur; nunquam enim talis distinctio apud Romanos, quod ad matrem attinebat, ante christianos principes admissa est.

Maxime naturali æquitati congruum jus senatusconsultum Orphitianum inferebat; nec tamen omnino ei satisfaciebat. Namque filios et filias duntaxat primo gradu ad matris hereditatem vocavit, non nepotes et neptes ad hereditatem aviæ [4]. Hoc principes Valenti-

1. *Inst.* III, 3, § 1.

2. Hoc hodie generaliter admittitur. Vid. Warnkœnig, *Instit. juris romani*, § 497; Accarias, *op. cit.*, II, 433. Justinianus id senatusconsultum sub Hadriano latum refert; sed Tertullus et Sacerdos, cum Antoninus Pius viginti jam annos rei romanæ præfuerat, consules fuerunt. Gaius de eo tacet, sine dubio quia cum partem Commentariorum de successionibus ab intestato delatis scriberet, nondum editum fuerat. Ab Hadriano adrogatus Antoninus nimirum Hadrianus ipse nominatus est. Quod et confirmat Zonar. 11.

3. *Instit.* III, 4, pr.

4. Non obst. l. 8, D., *unde cognati*, quæ ad bonorum possessionem, a prætore datam, spectat.

nianus, Theodosius et Arcadius correxerunt, postea Justinianus in Novella CXVIII.

Cum in successionibus quæ ex Orphitiano senatusconsulto deferebantur nulla ratio agnationis vinculorum haberetur, has *capitis deminutione* non perimi Justinianus monet[1].

In Pauli receptis Sententiis senatusconsulti cujusdam Orphitiani mentionem reperimus, de manumissionibus aliqua statuentis. Utrum idem id sit, an aliud eodem nomine designatum, ignoratur; si non idem fuit, tempore eodem hoc latum fuisse propter favorem libertatis credendum est[2].

Apud christianos auctores legimus etiam majore parte paternæ hereditatis ingratos filios a Marco privatos : de hoc edicto nobis tradita jurisconsultorum opera silent[3].

Senatusconsultum quoque Sabinianum a multis sub Marco latum esse creditur : quod non satis compertum est[4].

C. De obligationibus.

Nihil in universo jure romano perfectius quam jus obligationum fuit, neque etiam usque ad nostram æta-

1. *Inst.* III, 4, § 2. Hanc regulam hic Justinianus profitetur « novas hereditates legitimas capitis deminutione non perire, sed illas solas quæ ex lege XII tabularum deferrentur. »
2. *Sent.* IV, 14, § 1.
3. « His (Pollione et Apro) coss. lex est promulgata, qua intestato patres filiis succederent, ingrato vero filio bonorum paternorum quarta duntaxat pars daretur. » *Chron. Pasch.* ad ann. 176. — « Marcus iste imperator æquissimo suo edicto jussit, ut intestatis liberis in bonis pater succederet : et ingratus etiam filius ex quadrante tamen heres esset. » Joannis Malalæ *Chronogr.*, 11.
4. *Inst.*, III, 1, § 14. — Accarias, *op. cit.*, II, p. 15, n. 1.

tem multum mutatum est. Cum Marcus summam auctoritatem est adeptus, jamdiu a jurisconsultis hoc jus constitutum erat, ut ex Gaii commentariis apparet. Pauca igitur, non vero negligenda, de obligationibus Noster edidit. Ut legem 3, D., *de Transact.*, 2, 15, omittam per quam hæc notissima juris regula confirmatur : « Rem inter alios actam ab iis neque nocere neque prodesse posse », de compensationibus notabile rescriptum emissum est cujus verba ad nos non pervenerunt et de quo et hodie disputatur.

Ab origine res repetamus.

Compensatio, id est *debiti et crediti inter se contributio* [1], quamvis postea a prudentibus *necessaria* appellata sit [2], jure romano generaliter non accepta erat. Ita cum Titius ex stipulatione C nummos Seio deberet, Seius rursus Titio eamdem pecuniæ summam, Titius a Seio conventus non condictionem repellere poterat, solvere autem cogebatur quod erat mox petiturus. Cum formulæ in usum venerunt, in *bonæ fidei* actionibus judicis potestas multo major quam in aliis fuit, namque illi *ex æquo et bono* quid is unde petebatur deberet æstimare licebat; inde iniquum visum est reum cogi ad totum debitum solvendum cum creditor ipse actoris esset. Compensationis igitur rationem habere judex potuit, dummodo utraque obligatio ex eadem causa veniret.

In stricti juris judiciis contra, imo in omnibus quæ non bonæ fidei erant, nullum compensationis genus erat [3]. Neque aliter se res habuisse videtur cum Gaius

1. L. 1, D., *de Compensat.*, 16, 2.
2. L. 3, *eod. tit.*
3. Extra hanc regulam tamen sunt *deductio* quæ *bonorum*

Commentariorum partem quæ ad actiones spectat scriberet. Justiniani vero in Institutionibus legimus : « In strictis judiciis ex rescripto D. Marci, opposita doli mali exceptione, compensatio inducebatur. » Quod Theophilus pariter asserit[1]. Inde duæ quæstiones ortæ sunt. Namque prius num vere Marcus compensationem in stricti juris actiones admiserit, dubitatur, posterius quæ hujus rescripti vis fuerit.

De priore quæstione non multum disserere opus est. Justiniani enim et Theophili satis claræ asseverationes sunt. Nec Gaii silentium in Commentariis mirandum quia ante rescriptum Marci eos compositos esse non incredibile est. — Nonnulli quidem putant jam ante Marcum hoc jus admissum esse et ab eo tantum confirmatum. In Gaii enim libro quarto, inter paragraphos 60 et 61 duas paginas nemo quivit legere ubi jurisconsultus de compensatione in strictis judiciis disputavisse creditur[2]. Parum probata hæc opinio videtur, nec verisimile est Gaium de stricti juris actionibus primum generaliter tractasse, dein de bonæ fidei judiciis, iterum tandem de strictis judiciis in duobus singularibus casibus, scilicet bonorum emptoris et argentarii. Aliquot fragmenta ante Marcum scripta in Pandectis exstant, ubi de compensatione in strictis judiciis agitur, sed aut de argentariorum casu in iis tractabatur, aut a Triboniano corrupta sunt[3].

Quæ fuerit rescripti vis magis ambiguum. Certum

emptori objiciebatur, et *compensatio* quæ *argentariis* interponebatur. Gai., IV, 65 seqq.

1. *Inst.* IV, 6, § 30.
2. Vid. Dubois, Gai., *Comm.*, p. 447.
3. Cf. l. 2, D., *de Compensat.* (Julian.); l. 15, *eod. tit.* (Javol.), etc.

est duarum obligationum ex diversa causa natarum tum acceptam esse compensationem, dum utriusque dies cessisset[1]. At qui erant exceptionis doli effectus? Utrum actor, cum a judice compensatio admitteretur, *plus petendo* causa cadebat, an solummodo *condemnatio* imminuebatur? Condemnationem tantum imminutam fuisse opinamur. Justinianus enim actiones bonæ fidei et stricta judicia eodem jure recta post doli mali exceptionis admissionem dicit, neque ulli plurispetitioni in bonæ fidei judiciis locum fuisse notissimum est. Nec semper facile erat actori in actione compensationis exactam rationem habere, præsertim cum illæ res quæ hodie *fungibiles* dicuntur deberentur : iniquum ergo fuisset propter necessarium errorem eum omni jure privari. Certum est duplex exceptionum genus exstitisse. « Exceptio, ait Paulus, est conditio quæ modo eximit reum damnatione, modo minuit damnationem[2]. »

Ex Marci rescripto et in bonæ fidei judicia e diversa causa natarum obligationum compensationem introductam, quamvis hoc non aperte ex Justiniani Institutionibus appareat, constat.

Creditorem præterea qui « sibi ipse jus dixisset » sine judice res debitoris invadendo, Marcus creditum amittere jussit[3]; — exceptionem non numeratæ pecuniæ quinquennii spatio definivit[4].

1. L. 7, *eod. tit.*
2. L. 22, D., *de Except.*, 44, 1. Cf. A. Desjardins, *de la Compensation*, Paris, 1864; Accarias, *op. cit.*, II, 911. Contra Ortolan, *Explic. historique des Institutes*, 8e éd., III, 2167 seqq.
3. L. 13, D., *Quod metus causa*, 4, 2; l. 7, D., *ad leg. Jul. de vi privata*, 48, 7.
4. Cod. Herm., *de cauta et non numerata pecunia; Instit.* III, 21.

Postremo, ut docet Ulpianus, « D. Marcus ita edixit: *Creditor qui ob restitutionem ædificiorum crediderit, in pecunia quæ credita erit, privilegium exigendi habebit* : quod ad eum quoque pertinet qui redemptori, domino mandante, pecuniam subministravit[1]. » — Humanum enim est et maxime æquitati conveniens eum qui in patrimonio debitoris rem aliquam servaverit vel meliorem fecerit in ejus rei pretio aliis creditoribus præferri. Insuper notandum est Romanos singulariter ut nihil in ædificiis vitii esset studuisse[2].

§ 3. — *De Actionibus.*

Ad ipsarum actionum jus componendum eamdem humanitatem Marcus adhibuit atque in aliis juris partibus. In jus vocari vetuit eos qui mortuum prosequerentur[3]; jussit etiam aliquam litis delationem accipi propter luctum unius e litigatoribus[4].

Præterea de appellationibus plurima ab eo constituta fuerunt.

Ante Augustum appellatio non in usu erat, nullo

1. L. 24, § 1, D., *de Rebus auct. judic. poss.*, 42, 5. — Cf. l. 1, *In quibus causis pignus*, 20, 2. « Senatusconsulto quod sub Marco imperatore factum est, pignus insulæ creditori datum, qui pecuniam ob restitutionem ædificii exstruendi mutuam dedit, ad eum quoque pertinebit qui redemptori, domino mandante, nummos ministravit. »

2. Cf. Cod. Civil. Gallic., art. 2103, 4° et 5°.

3. L. 3, D., *de in Jus voc.*, 2, 4.

4. « Divi Fratres in hæc verba rescripserunt : Humanum est, propter fortuitos casus dilationem accipi, veluti quod pater litigator filium vel filiam, vel uxor virum, vel filius parentem amisit, et in similibus causis cognitionem ad aliquem modum sustineri. » L. 36, D., *de Judiciis,* 5, 1.

magistratuum certo gradu exstante[1]. Post eum ita constituta est ut a decisione inferioris magistratus ad superiorem, postremo ad principem appellaretur. Sæpe tres aut quatuor appellationis gradus erant, inde litigatoribus imponebantur sumptus, cunctationes, etc.[2]. Ut hæc incommoda vitarentur, quandoque imperator judices dabat, a quibus provocare non liceret : quem usum sæpe Marcum secutum refert Ulpianus[3]. Attamen generaliter varios provocationis gradus servare jussit, quos exactissime designavit[4]. Si quis per errorem cum alium appellare debuisset, alium appellavisset, Divorum Fratrum rescriptum ad majorem vel parem judicem provocanti id non officere decrevit, ad minorem autem nocere, nec corrigi posse[5]. Iidem etiam quando per procuratorem in provocatione agi liceret statuerunt[6].

Laudare quoque possumus leges 8, D., *de Appellationibus*, 49, 1; 1, *eum qui appellav.* 49, 11; 2, C. J., *de Procurat.* 2, 13.

Novum in jus vocationis modum introduxit, quo

1. Per *appellationem* hic intelligitur provocatio ad superiorem magistratum qui novam sententiam dicat : tribuni quidem plebis aut collegæ illius qui pronuntiaverat *appellari* poterant, sed non ipsi judicabant; eorum intercessio aut auxilii latio pure *negativa*, ut ita dicam, erat. Vid. Keller, *de la Procédure civile et des actions chez les Romains*, trad. Ch. Capmas, § 82.

2. Sub Justiniano primum appellationum numerus circumscriptus fuisse videtur, l. unic., C. J., 7, 70. Cf. Keller, *op. cit.*, n. 1008.

3. « Interdum imperator solet judices dare, ne liceat ab eo provocare, ut scio sæpissime a D. Marco judices datos. » L. 1, § 4, D., *a quibus appellari*, 49, 2.

4. L. 21, D., *de Appellat.*, 49, 1. — Capit. *M. Ant. Phil.* 10.

5. L. 1, § 3, D., *de Appell.*, 49, 1.

6. L. 1, D., *An per alium*, 49, 9,

actor reum monebat petitionis propositum, sicuti et hodie in Gallia fit, et qui *litis denuntiatio* appellatus est[1].

Capitolinus haud immerito scribit eum singularem judiciariæ rei diligentiam adhibuisse[2]; et causidicos benigne audivisse, mensuram aquæ copiosam iis concedentem. Ut sæpius jus dici posset, fastis dies judiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret[3]. Et simul litigantium omnium utilitati provide consulebat[4].

1. Aurel. Vict., *de Cæs.*, XVI, 9.

2. *M. Ant. Phil.* 10. — Dio. LXXI, 6 : « Imperator quoties a bellis vacabat, jus dicebat. In causis autem diligenter cognoscendis atque examinandis paulo erat longior, quo justum omni ex parte investigaret : nam de eadem causa dies sæpe XI aut XII, aliquando etiam noctu cognovit. » Add. l. 22, D., *ad Sctum Trebellianum* 36, 1, ubi a Marco sententiam in auditorio pronuntiatam laudat Scævola.

3. Capitol. *ibid.* — Grellet-Dumazeau, *le Barreau romain*, 145 et 146.

4. « Ne quis messium vindemiarumque tempore adversarium cogat ad judicium venire oratione D. Marci exprimitur. Sane quoties res urget, cogendi quidem sumus ad prætorem venire, verum ad hoc tantum cogi æquum est ut lis contestetur... » L. 1, D., *de Feriis*, 2, 12.

CONCLUSIO

CONCLUSIO

Quid ex iis quæ supra exposuimus colligi possit, nunc brevissime dicendum est. Plurimi scriptores hodie, etiamsi optimas imperii leges tempore Antoninorum fuisse censent, summæ potestatis oneri Marcum Aurelium imparem fuisse opinantur; quem infirmioris animi et debilioris ingenii arguunt[1]. Hoc veritati repugnare demonstravimus; non bonus princeps imperio defuit, sed jam illud servari non poterat. In

1. « Aurelius speaks disparagingly of his own natural genius : this may be modesty, but it agrees with the idea I form of him. » Merivale, *Hist. of the Romans under the Empire*, London, 1876, VIII, 337. — « Auguste, Tibère, Claude et Vespasien aboutiront à Trajan, c'est-à-dire à la dernière incarnation de la grandeur romaine, après laquelle il n'y a plus que des fantômes : le lettré Marc-Aurèle lui-même, l'un de ces fantômes, mènera à la dernière incarnation païenne de Rome, au lettré Julien, après lequel il n'y a plus de paganisme. Trajan clot, si je puis le dire, la grandeur romaine... » Dubois-Guchan, *op. cit.*, I, 512. — « Séduite par cette pureté, l'histoire a fait à cet empereur une place trop grande. Dans ce règne de dix-neuf ans, on ne trouve ni institutions nouvelles, ni bonne guerre, ni bonne paix, seulement un grand livre. C'est assez pour le penseur, c'est trop peu pour le chef d'empire. Mettons-le donc au nombre des hommes à qui nous devons le plus de respect; mais ne le mettons pas au rang des princes qui ont le mieux mérité de leur pays... » Duruy, *op. cit.*, IV, 480. — « Marc-Aurèle manquait d'initiative. » G. Boissier, *Revue des Deux-Mondes*, 1er mars 1882, 65. Cf. de Champagny, *les Antonins*, Paris, 1875, III, 26, 27, 82, 83.

jure civili tam multa et utilia quam quivis ex imperatoribus Marcus decrevit, et plurimæ ejus constitutiones, ad id pertinentes, in fere omnes recentiorum nationum leges admissæ sunt. In jure publico contra deteriora sanxit, non quia timidus erat et nimis remissus, sed quoniam jam nimis validam imperatorum potestatem auxit libertatisque rara vestigia adhuc exstantia non minus quam superiores imperatores tollere conatus est. Nullo jam præsidio adversus Commodos et Elagabalos fretus, romanus orbis maximis calamitatibus post eum oppressus est. — Nec principes mortales esse Marcus immemor erat et pessimum sæpe optimo succedere, sed nusquam inveniri poterat cui salutem civitatis et curam imperatoriæ potestatis circumscribendæ confideret, corrupta nobilitate, corruptiore plebe. Magis quidem, fateor, ex officio quam ex spe melioris status sua munia explebat, cum res humanas semper eumdem per circulum volutari putaret; sed ad belli et pacis labores juxta impiger, nunquam animum despondit, eo fortasse acrior in exsequendis muneribus quod de senescentis imperii et quotidie labentis periculo nescio qua divinatione certior erat. Nonnunquam enim nullam sperare salutem, si non salus, saltem ad agendum incitamentum est. Recte igitur Romani ejus memoriam maxima veneratione diu prosecuti sunt et Julianus ei inter tot imperatores primum locum concessit. — Insigne ejus exemplum nobis ostendit quid imperium prudentissimi et integerrimi viri possit : quanto magis valeat libertas ex iis supradictis facile judicabitur.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

A. d. VII non. Aug. an. MDCCCLXXXII

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

H. HIMLY.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis rector,

GRÉARD.



INDEX CAPITUM

INDEX CAPITUM

Toulouse, imprimerie DOULADOURE-PRIVAT, rue Saint-Rome, 39. — 4494



